# DE HORARUM
## APUD VETERES FIGURIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA-GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVIII M. MAI A. MDCCCLXXXVII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULUS HERRMANN
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
OSCAR BIE, DR. PHIL.
BERNHARD KAHLE, DR. PHIL.
OTTO KERN, CAND. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT KNOLL ET WOELBLING.
Brunnenstrasse 155.

ERNESTO CURTIUS

CAROLO ROBERT

S.

Quod iam apud Philostratum sen. imag. II, 34 legimus: — „Τὸ μὲν ἐπὶ ταῖς Ὥραις εἶναι τὰς τοῦ οὐρανοῦ πύλας Ὁμήρῳ ἀφῶμεν εἰδέναι καὶ ἔχειν, εἰκὸς γάρ που αὐτὸν ξυγγενέσθαι ταῖς Ὥραις, ὅτε τὸν αἰθέρα ἔλαχε, τουτὶ δὲ τὸ σπουδαζόμενον ὑπὸ τῆς γραφῆς καὶ ἄλλῳ ξυμβαλεῖν ῥᾴδιον. αἱ γὰρ δὴ Ὧραι αὐτοῖς εἴδεσιν ἐς τὴν γῆν ἀφικόμεναι ξυνάπτουσαι τὰς χεῖρας ἐνιαυτόν, οἶμαι, ἑλίττουσι καὶ ἡ γῆ σοφὴ οὖσα εὐφορεῖ αὐταῖς τὰ ἐνιαυτοῦ πάντα.“ — eadem res cum ex scriptorum, tum ex artificum veterum operibus, de quibus potissimum agere mihi proposui luculenter elucet. Horarum enim nominis et ab antiquissimis iam auctoribus mentio fit et imagines earum nunc in scriptorum libellis describuntur, nunc ad nostros dies servatae sunt. Quae autem ad hanc aetatem duraverunt monumenta, in his maxime quatuor Horae expressae sunt repraesentantes temporum quadripartitas commutationes, quare si huius libelli maior pars ad inquirendum hoc monumentorum genus consumitur e re videtur esse. Tamen non omnino desunt opera iis temporibus exorta, cum in Graecia artes florebant. Quae monumenta qui cum aliis illis comparaverit, multum interesse inter utrumque genus facile intelliget, cum numero — nam tres habemus hic — tum habitu et insignibus quae singulis tributa sunt.

Tamen nonnulli viri docti, imprimis autem Winckelmannus et E. Q. Viscontius, etiam tres Horas anni tempora repraesentare existimaverunt, quoniam prioribus temporibus annum in tres modo partes dividere mos erat apud Graecos. Primus Zoega cognovit et disertissime exposuit has ab illis seiungendas esse (cf. Bassiril. II pag. 218 sqq.), cuius opinionem secutus accuratiora quaedam de hac re profert Lehrsius (popul. Aufs. aus d. Alterth. pag. 78 sqq.). Duo ut ita dicam genera Horarum apud veteres nota fuisse nemini dubium erit, qui utriusque sententias cognoverit. Tamen cognatio quaedam inter utrumque genus extat, et novior fingendi ratio ex illa vetustissimis temporibus usitata derivata est. Cuius rei documento

est, quod quatuor anni temporum figurae virginali habitu exprimi solebant ab artificibus, qui si ad uniuscuisque propriam naturam vel potius ad nomina accessissent, facere non potuissent, quin duo — ver et auctumnum — puerili, duo — aestatem et hiemem — virginali habitu expressissent. Cum autem hac ab ipsa rerum natura profecta fingendi ratione artifices non usitati sint, dubitare non possumus, quin maiorum mores secuti sint. Quod tanto facilius fieri potuit, quod cum nominum tum rerum communitas hoc poscere videtur. Nam ab initio Horae deae sunt, quae et temporum motus regunt, et cum rerum natura coniunctae sunt. Itaque re vera temporis spatium fuisse, ubi tres Horas tribus anni partibus praefectas creditum sit, ex monumentorum certo ordine (cap. II) probaturus sum.

Quae cum ita sint, haud ineptum videtur ex scriptorum libris artificumque operibus demonstrare, quomodo de Horis vetustioribus iudicandum sit, quam ad rem exponendam ex antiquissimis temporibus ordiri mihi liceat. Et quoniam ad rem propositam summi momenti est scire, quomodo annum dividere veteres soliti sint, hanc rem praefatione huius libelli tractavi. Cur cum Petersenio, qui nuper de anni temporibus disertissime egit (cf. Ann. d. Inst., 1861, pag. 190 sqq.) nonnunquam dissenserim, ex ipsa mea rei tractatione apparebit.

---

# PRAEFATIO.

Anni in quatuor partes dividendi ratio, quoniam a natura ipsa non praebetur, antiquitus apud Graecos in usu non fuit. Cum enim tempus fructuosum et calidum natura opponatur frigido et fructibus carenti, annum antiquissimis temporibus in duas modo partes divisum esse haud mirum est, quarum haec χειμών vel χεῖμα, illa θέρος nominabatur.[1]) cf. Hom. Od. VII, 117—118:

τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται οὐδ' ἀπολείπει
χείματος οὐδὲ θέρευς ἐπετήσιος.

Pleiades orientes vel occidentes initium finemve utriusque partis indicant: Hes. opp. 383 sqq.[2]). Nec minus illis temporibus, quibus accuratior anni dividendi ratio nota erat, tantum illas duas partes seiungere perrexerunt. Cuius rei gravissimus testis Plato est Crat. p. 410 C.: ὧραι γάρ εἰσιν διὰ τὸ ὁρίζειν χειμῶνάς τε καὶ θέρη (καὶ πνεύματα καὶ τοὺς καρποὺς ἐκ τῆς γῆς)[3]). Eodem modo Thucydides tempus dividere solet, ut ipse dicit V, 2: κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥσπερ γέγραπται, εὑρήσει[4]). Quamquam veris nomen Thucydidi haud ignotum est, tamen non certam anni partem illo nomine

1) cf. Idelerus, Handb. d. Chron., I, p. 240 sqq.

2) cf. Pseudohesiod. astron. ap. Athen. X, 491 c. Plin. hist. nat. XVIII, 25, § 213. Arat. 264 sqq.

3) In has duas partes annum dividi explicat Plato legg. XII, p. 945 E: κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον μετὰ τροπὰς ἡλίου τὰς ἐκ θέρους εἰς χειμῶνα κτλ. cf. legg. XI, p. 915 D: ὁ μὴν ἐν ᾧ τρέπεται θερινὸς ἥλιος εἰς τὰ χειμερινά. cf. legg. III, 683 C, republ. III, p. 415, Crit. p. 112 D. Pseudoplat. Epin. p. 987 D. Eundem anni dividendi morem sequuntur Aesch. Agam. 5. Pind. Isthm. II, 61 sqq. Soph. Ai. 670 s. Phryn. in Bekk. Anecd. p. 43, 1. Demosth. Phil. γ. p. 124.

4) Wilamovitzius haec verba non a Thucydide ipso scripta esse coniecit, sed ab ignoto quodam homine, qui libros illius illustrissimi rerum scriptoris edidit, cf. „Curae Thucydideae“ Ind. Schol. Gotting. sem. aest. 1885 p. 17 et 19. At Thucydidem eodem modo ac illa verba indicant tempus dividere aliis quibusdam locis intelligi potest.

eum significavisse inde efficitur, quod nunc hiemis, nunc aestatis partem ver esse existimat. Hiemis partem ver intellegi vult II, 103; III, 116. Multo saepius autem initium calidi temporis ver nominatur, qua ex re intelligi potest ver non tam anni quam aestatis partem esse. Quare apud Thucydidem quoque θέρος et χειμών anni partes indicant[1]). At dicit Thucydides hieme confecta ver appropinquare, unde quispiam concludere possit eum certam anni partem ver esse existimasse, cf. IV, 135: τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος τελευτῶντος καὶ πρὸς ἔαρ ἤδη; II, 2: ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ.[2]) Attamen ἔαρ[3]) et θέρος non duas inter se disiunctas anni partes, sed utrumque calidi temporis partem esse his verbis probatur VI, 8: τοῦ δ'ἐπιγιγνομένου θέρους ἅμα ἦρι[4]). Eadem quoque res intelligitur IV, 1: τοῦ δ'ἐπιγιγνομένου θέρους περὶ σίτου ἐκβολήν... (cap. 2) ὑπὸ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους τοῦ ἦρος, πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι.[5]) Cf. Thuc. II, 19.[6])

Quam penitus haec de qua agimus opinio hominum animis insita fuerit inde cognoscitur, quod etiam in fabulis ad deorum vitam atque cultum pertinentibus hac de re agitur. Cogito de illa Delphis et Deli pervulgata fabula, quae est de Apollinis „ἐπιδημία" et

1) cf. Wilam. l. c. p. 13. Hermes XX, p. 477 s. Ungerus Philol. vol. XXIV, p. 622 sqq. ea quae Wilam. explicavit refutare conatur dicens Thucididem non populi ratione anni dividendi usum esse. Cui viro docto si libenter concedendum est Thucydidi doctam rationem anni in quatuor partes dividendi minime ignotam fuisse, tamen in libro suo certas anni partes eum non proferre satis apparet et incertam populi rationem se secutum esse ipse dicit V, 2.

2) cf. V. 20; 39; 81; II, 103; III, 116 etc.

3) Vernum tempus apud Thucydidem non semper idem designare explicat Wilam. l. c. p. 19: „itaque ver primi anni incipit fere 7. mart. (29. gamel.), noni medio aprili (14. elaph. IV. 117) undecimi (si hoc licet hoc referre) versus medium aprilem (27. elaph. V. 19) aestas octavi 21. mart. (1. elaph. IV, 52)."

4) cf. IV, 117; V, 40; V. 82.

5) cf. Wilam. l. c. p. 12 not. 2: „aestatis ἀκμήν nobis fortasse parum commode videbitur Thuc. in medio mense maio collocasse, quamquam similia vel sub arcto dicta esse confitebitur, qui medii aevi cantilenas non contempserit. tenendum vero neutrum a Thuc. nude dici, sed lectoris esse tempus quaerere, cui et aestatis et frumenti ἀκμήν conveniat."

6) cf. Stephanus, thes. gr. ling. s. v. θέρος: „Anno in duas partes diviso θέρος et veris et autumni partem complectitur". Eodem spectare mihi quidem videtur Herodoteum illud: τῆς ὥρης μέσον θέρος (VIII, 12), cf. Lucian: de hist. scr. c. 1. μεσοῦντος θέρους, quibus in locis θέρος totum calidum anni tempus significare videtur, cuius media pars aestati nostrae respondet.

„ἀποδημία.“ Credebatur enim Apollo per aestivum tempus adesse in illis sacris, frigido autem tempore proficisci ad Hyperboreos. Deli utraque temporis pars sex menses complectebatur, Delphis tres modo menses deum abesse credebatur, itaque hoc loco aestivum tempus novem menses complectebatur.[1])

Praeter hanc anni divisionem, de qua diximus, alia quoque in usu fuit apud veteres populos. Saepe enim legimus annum in tres partes dividi, quam opinionem ex agricultura profectam esse recte conicere mihi videor. Ad agricolae enim negotia respicientes haec tria tempora anni veteres secernebant: Ac primum quidem tempus serendi, quod ἔαρος nomine significaverunt, tum alterum tempus, quo sementes maturescebant messisque fiebat, cui θέρους nomen erat, denique tertiam anni partem, quo tempore natura et homines a muneribus veris et aestatis requiescebant, quod tempus χειμών nominatum est. Illae tres anni partes eo modo effectae sunt, ut calidum tempus in duas partes divideretur, quo factum est, ut ἔαρ non θέρους, sed anni pars existimaretur.[2]) Hanc eandem opinionem iam in Homeri libris invenimus cf. Il. VI, 147 sqq. Vernum tempus non solum aestatis, sed anni partem haberi intelligitur ex Od. XIX, 519: ἔαρος νέου ἱσταμένοιο. Messium tempus ex duabus partibus constat, quae sunt θέρος et ὀπώρα, quae coiunctim apud Homerum nominari solent.[3]) Itaque si Graeci aestivum tempus uno verbo significare volunt, nunc θέρους nunc ὀπώρας vocabulo utuntur. ὀπώρᾳ autem, quo nomine extrema aestatis pars significatur,[4]) cum aestatis tum hiemis natura attribuitur. Ὀπωρίνῃ ὥρᾳ Sirium de caelo fulgere cum legimus, cuius fulgor naturam aridam efficiat hominibusque febres afferat, dubitare vix possumus, quin aestatis propria haec sint.[5]) Aliis locis hiemis naturam induit ὀπώρα, cum dicitur hoc tempore aquilones flare incipere arboresque foliis privari Od. V, 328 sq., Il. XXI, 346 sq., imbres de coelo se deiicere Il. XVI, 384 s. Hes.

---

1) cf. Prellerus, griech. Mythol. I[4], p. 245.

2) cf. Herod. VII, 162. Pericl. ap. Arist. rhetor. γ, 10.

3. cf. Od. XI, 192; αὐτὰρ ἐπὴν ἔλθῃσι θέρος τεθαλυῖά τ' ὀπώρη (cf. Theocr. XI, 36). Od. XIV, 384: ἢ ἐς θέρος ἢ ἐς ὀπώρην.

4) cf. Eustath. comm. Il. p. 514, 23: τὸ τελευταῖον μέρος τοῦ θέρους s. ἡ μετὰ τὸ θέρος ὥρα, cf. Il. p. 1065, 60; Od. p. 1764, 62; coll. 1714, 7.

5) cf. Il. XXII, 25 sqq. V, 5 sq. Anthol. Pal. X, 12, 7. Anth. Plan. 227, 7. Homeri temporibus Sirium mense Julio ortum esse dicit Idel. Handb. d. Chron., I, p. 244.

opp, 674. Quae cum ita sint θέρος et ὀπώραν inter se minime secernenda esse apparet. Non recte igitur ei viderunt, qui putent ὀπώραν idem tempus anni significare, quod lingua vernacula Herbst appellamus. θέρος una cum ὀπώρᾳ mediam anni partem efficiunt inter vernum et hiemale tempus positam, cum fructus maturescunt messesque fiunt. Hac una re inter se discrepant, quod θέρει agri, ὀπώρᾳ arborum fructus et imprimis uvae colliguntur.

ἔαρ — θέρος cum ὀπώρᾳ — χειμών sunt tres partes, quibus cum Graecorum res florebant annum compositum esse homines indocti et praecipue agriculturae studiosi putabant. Profert illa tria anni tempora Aeschyl. Prom. 456 s.:

ἦν δ'οὐδὲν αὐτοῖς οὔτε χείματος τέκμαρ
οὔτ' ἀνθεμώδους ἦρος οὔτε καρπίμου
θέρους βέβαιον....

Stellas vel orientes vel occidentes initium finemve uniuscuiusque anni partis significare poeta addit.[1]) Pro θέρους vocabulo etiam ὀπώρας dici testis est Arist. Av. 708 sq.:

πάντα δὲ θνητοῖς ἐστὶν ἀφ' ἡμῶν τῶν ὀρνίθων τὰ μέγιστα.
πρῶτα μὲν ὥρας φαίνομεν ἡμεῖς ἦρος, χειμῶνος, ὀπώρας.

Non stellarum motus, sed volucres sive advenientes sive avolantes hoc loco tempora anni terminant.[2]) ὀπώρα θέρους loco adhibetur etiam in Aeschyleo loco apud Aristot. hist. an. ι, 49 B, cum ibi poeta ὀπώρας tempore agri fructus colligi dicit, quae θέρους tempore fieri solere supra commemoravimus.[3])

Tripartitus annus, quem a natura ipsa datum esse satis perspicuum est,[4]) diu a Graecis servatus est. Sed ex quo tempore ho-

1) Eandem anni temporum compositionem proferunt e. c. Plut. de Isid. p. 378. Schol. Hes. theog. 247. Diod. Sic. I, 11; 12; 16; 26.

2) cf. vas nigr. fig; ornatum Mon. d. Inst. II, 24 et carmen Rhod.. ἦλθ' ἦλθε χελιδών κτλ. ap. Athen. VIII, 360 B.

3) Eandem rem probant Xen. Hellen. III, 2. 9: ἀπὸ τοῦ ἠρινοῦ χρινοῦ πρὸ ὀπώρας, cf. Aristot met. I, 12, anim. IX, 49. — Plut. Pericl. 9, 285 et Theop. ap. Athen. XII. 533 A vocabulo ὀπωρίζειν utuntur non solum arborum, sed etiam agrorum fructus colligi dicentes. ὀπώραν esse tempus quo arborum fructus colliguntur demonstrant Arist. hist. an. VIII, 28, quare factum est, ut ipsi fructus arborum eodem ὀπώρας vocabulo designentur, cf. Plat. legg. VIII, g. 844 D sqq. Aristot. problem. κβ, 1 sqq hist. anim. θ, 28; ι, 42.

4) cf. fabulas quae traduntur de Junone puella, uxore, vidua ap. Paus. VIII. 22, 2 et de Adonide ap. Ps. Apollod. biblioth. III, 14, 4, quibus eadem res illustratur.

mines astronomiae studere et coelum sideraque spectare coeperunt, effugere eos nullo modo potuit circuitum terrae, qui annum efficit, ex quatuor partes constare. Hanc anni partitionem iam quinto a. Chr. n. saeculo doctis hominibus non ignotam fuisse scriptorum locis probatur, tamen minime in populo pervulgata est, quem tripartitione semper usum esse ex Aeschyli et Aristhophanis versibus elucet. Novum morem poetarum primum secutum esse eundem videmus, quem studiosissime litteris incubuisse et quae ex doctorum virorum libris exhauserat, in publicum protulisse satis constat, Euripidem dico. Extat Euripidis fragmentum ap. Plut. Mor. 1028 F.:

φίλης δ᾽ ὀπώρας διπτύχους ἦρός τ᾽ ἴσους.[1])

Ex his verbis elucet Euripidem veri et auctumno non eandem longitudinem attribuisse atque aestati et hiemi, sed putavisse utramque illarum partium duobus modo mensibus compositam esse. Anni partitionem hoc loco ab Euripide adhibitam nondum eandem esse quam qua nos utimur luculenter elucet.[2]) Etiam hac in re Euripides discedit ab aliorum sententia, quod tertiam anni partem ὀπώρας nomine significat, quoniam omnibus locis, ubi auctumni nomen adhibetur, φθινοπώρου vel μετοπώρου vocabulum accitur.

Habemus igitur ἔαρ — θέρος — μετόπωρον — χειμών, quibus nominibus, ubicunque quatuor anni tempora proferuntur, scriptores utuntur. Ac primum quidem hanc compositionem invenimus in libris illis, qui Hippocratis nomine traditi sunt.[3]) Inventam esse hanc novam anni partitionem a Pythagoreis iam a veteribus traditur,[4]) eandemque opinionem Plutarchi fuisse probari videtur loco illo, quo Euripidis fragmentum, quod supra attuli, laudat (Moral. 1012 F sqq. = de anim. procreat, II, 4 ed. Didot), quoniam eodem loco Pythagoreorum sententias agit. Quando libri Hippocratei qui feruntur scripti sint cum non satis constet, ad nostram causam diiudicandam vix idonei sunt. Transeamus igitur ad alterum scriptorem, cuius in libris quatuor anni tempora invenimus, Aristotelem dico, cf. meteor. β, 6: „κατὰ δὲ τὰς ὥρας τὰς ἐναντίας οἱ ἐναντίοι (sc. ἄνεμοι)

---

1) Eadem res probatur altero fragmento Euripidi tributo a Macrob. Sat. I, 17. Sed haec verba non Euripidis esse existimant Lob. Aglaoph. p. 463 et Nauckius, Eurip. ed. III, p. 265, Nr. 937.

2) cf. Prellerus, Dem. u. Perseph. p. 116 sqq.

3) cf. Hipp. de vict. rat. III, p. 366; de aër. aqu. et loc., p. 287.

4) cf. Prell. l. c. p. 116 sqq. not. Winckelm. Mon. ined. p. 57 sqq.

μάλιστα πνέουσιν, οἷον περὶ ἰσημερίαν τὴν μὲν ἐαρινὴν καικίας καὶ ὅλως τὰ ἐπέκεινα τροπῆς θερινῆς, περὶ δὲ τὴν μετοπωρινὴν λίβες, περὶ δὲ τροπὰς θερινὰς μὲν ζέφυρος, χειμερινὰς δ'εὖρος. (cf. de gen. anim. ε, 3; hist. anim. θ, 19). Nonnunquam non omnia quatuor tempora protulit, sed singula nominat vel unum alteri opponit, et praecipue quidem ἔαρ — μετόπωρον, rarius θέρος — χειμών contraponuntur, id quod iam in locis supra allatis bis invenimus.[1]) Definiuntur ἔαρ et μετόπωρον aequinoctio verno et auctumnali: Aristot. hist. anim. θ 12—ε, 11.[2]) φθινόπωρον esse certam anni partem designant verba: ἀρχομένου τοῦ φθινοπώρου Aristot. hist. an. ε, 10, quod eundem fere sensum habet atque „ἔαρ ἱστάμενον" sive „νέα ὀπώρα" (= νέον θέρος), quod saepius iam invenimus. Initium auctumni Pleiadum occasu inducitur: Aristot. hist. an. ε, 10 (cf. Hesych s. v. φθινόπωρον). φθινόπωρον et χειμών inter se coniuncta calido θέρει oppununtur Arist. probl. α, 29. φθινόπωρον aestatem sequitur omisso ὀπώρας tempore: Aristot. hist. anim. ι, 37; probl. α, 10.

Ex omnibus igitur locis Aristoteleis intelligitur illo tempore inter doctos homines novum morem anni dividendi iam plane pervulgatum fuisse. Ex quo tempore eandem opinionem sensim ac paulatim ex plebe hominibus innotuisse verisimile est, quare si dicimus illam opinionem ei antiquitatis aetati, quam nos hellenisticam nominare solemus propriam fuisse, neminem virorum doctorum nobis contradicturum esse speramus. Nam merito Helbigius[3]) disserere mihi quidem videtur Aristotelem philosophum toti hellenisticae aetati praelusisse.

Quo tempore opinio apud homines nata est personas esse quatuor anni tempora, Horarum nomen eis inditum est. Quod nomen cum iam antiquissimis temporibus in usu fuerit, primum quidem inquirere mihi liceat, quidnam in scriptorum libellis artificumque operibus de illis deabus tradatur priusquam anni temporibus praeesse coeperunt, quoque modo illae cum posterioribus anni Horis cohaereant.

---

1) cf. Aristol. hist. an. ε, 9; ε, 12; θ, 12; θ, 26. problem. α, 27; β, 6; meteor. α, 12. Philo, vol. I, p. 13, 19. Aelian. var. hist. 13, 4. Galen. ad Glauc. 1. Agathocl. Cyzicen. apud Athen. XIV, 650 A

2) cf. Aristol. meteor. β, 6; γ, 5. Hippocr. de vict. rat. III, pag. 366 Plut. probl. rom. Polyb. IV, 37, 2. Diod. I, 39. Gemin. Elem. astronom. 2, E.—3, A.—5, C. Oribas. II, p. 297, 2.

3) Untersuch. üb. d. camp. Wandmal. p. 204.

# PARS PRIMA.

## De Horis, quae non ad quatuor anni tempora pertinent.

### Caput I.

### Quibus numeribus Horae fungantur, antequam anni temporibus praeesse coeperunt.

In Homeri carminibus varia sunt munera, quibus Horae defunguntur. Olympum custodiunt, portas illius deorum sedis aperiunt et claudunt Il. V, 749 sq. VIII, 393 sq.[1]) Quid hoc sibi velit demonstrat Il. V, 751:

ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ' ἐπιθεῖναι,

quibus ex verbis intelligitur nubes esse illas Olympi portas, quibus custodiendis Horae praesunt. Unde iam elucet cum rerum natura Horas fuisse coniunctas, quae res ex eis quoque probatur, quae de Horis Junoni inservientibus narrantur, quoniam ipsa Juno initio rerum naturae praefecta credebatur.[2]) Il. VIII, 432 sq. deorum reginae equorum iugum solvunt. Eodem modo cum superis Horae coniunguntur iis temporibus, quibus iam altera illa opinio ferebatur Horas ad quatuor anni tempora pertinere.[3]) Omnibus quos laudavimus scriptorum locis Horae Olympum custodiunt. Quamquam unus Homerus Horas Junoni inservientes facit, tamen cum aliis deis eodem modo apud posteriores quoque coniunguntur Homeri carmina

---

1) cf. Philostr. sen. imag. II 34: τὸ μὲν ἐπὶ ταῖς Ὥραις εἶναι τὰς τοῦ Οὐρανοῦ πύλας Ὁμήρῳ ἀφῶμεν εἰδέναι καὶ ἔχειν. cf. Paus. V, 11, 7.

2) Huc spectat fabula illa quam prodit Paus. VIII, 22, 2. cf. Prellerus, griech. Mythol. I$^4$, (ed. Robertus), pag. 166 sq.

3) cf. Ovid. fast. I, 125 sq. Lucian de sacrif. 8. Jup. trag. 33. Philostr. imag. I, 11. Nonn. II. 175 sq. 703 sq. XIII, 23 sq. XXVIII, 330 sq. — Euseb. praep. ev. 114, b Horas Olympum custodientes segregat ab illis ad quatuor anni tempora pertinentibus, quae Cererem comitari dicuntur.

imitantes. Solis equos fovent Ovid. Metam. II, 118.[1]) Eodem spectare videtur Nonni illud. ἱππότις Ὥρη Nonn. I, 172, qui ministras Solis easdem facit II, 271, XLVIII, 578, quamquam hoc loco domino non eodem modo inserviunt atque aliis locis. Sed non Soli modo, sed etiam filio eius Phaethonti inserviunt Nonn. XXXVIII, 415, tum Aurorae Quint. Smyrn. I, 48 sq. II, 657 sq.[2]) Quibus ex locis elucet Horas a naturae temporumque motu minime abesse.

Prorsus aliter autem indicandum est de Horis Veneris comitibus. Pind. Nem. VIII, 1 sq. Horae vel potius una ex iis dona Veneris porrigunt. Plerumque Horae una cum Gratiis coniunctae Veneri comites tribuuntur.[3]) Cum Venere aliisque deis Horas coniungit Aristoph. Pax 456. Addendum est, quod Olympiae Horarum ara iuxta aram Veneris posita erat. (Paus. V, 15, 3). Cuius cum Venere coniunctionis causa est, quod Horae pueros ac puellas ad pubertatem ducere dicuntur,[4]) ut Veneris muneribus frui possint, quare id aetatis spatium saepissime ipsum vocabulo ὥρα, ὡραῖος significatur.[5]) Eodem modo ὡραῖος pulchritudinem hominum in aetate florescente significat.[6])

Neque solum aetatem florescentem et pubescentem Horae afferunt, verum etiam partus tempus. Qua ex causa puerperas adiuvant anthol. plan. app. epigr. 257,4, infantes fovent ut Junonem Olen. ap. Paus. II, 13, 3, Aristaeum Pind. Pyth. IX, 59 sq.[7]) Eodem spectant vocabula μαιάδες Nonn. XLVIII, 801, λεχωΐδες Nonn. III, 382; IX, 12. Unde fit ut omnino rebus coniugalibus praesint. Jovi et Europae genialem lectum parant Mosch. Id. I, 162 sq.[8])

Porro quae deae homines ad pubertatem ducunt, eaedem agrorum arborumque fructus maturant.[9]) Itaque nihil miri habet, quod

---

1) cf. Lucian. dial. deor. X, 1. Nonn. XXXVIII, 297 sq.

2) cf. Nonn. I, 224: ἀστραίας δὲ φάλαγγας ἀτάρβεες ὥπλισαν Ὧραι.

3) cf. Cyprior. fragm. 3 p. 22 Kink. (Hom.) hymn. Apoll. 194 sq., qui Horas una cum Harmonia, Heba, Venere choros ducentes facit. cf. (Hom.) hymn. Vener., ubi ex maris spuma natam deam in Cypro insula salutant eamque splendidissimis vestibus exornant.

4) cf. Michaelis, Ann. d. Inst., 1863, p. 295.

5) cf. Aristoph. Av. 138, 705 sq. Plato Protag. 309, Symp. 217, 219 C. Bergk, poet. lyr. graec., p. 345, 24 (Solon), p. 422, 723 sqq. (Theogn.) et saep.

6) cf. Etym. magn., p. 823, 7.

7) cf. Nonn. III, 198 sq., VIII, 32 sq.

8) cf. Nonn. II, 328 sq. VIII, 4–5; XXXVIII, 131 sq.

9) cf. Michaelis, l. c.

Horae cum deis naturae praefectis coniunguntur. Nonnullis locis iam supra allatis hoc munus Horis tribuitur, vestem enim, qua Venerem ornant, „ἔβαφαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν" (Cypr. fragm., cf. pag. 14[1]). Cum Tellure dea coniunctae Aristaeum infantem fovent Pind. Pyth. IX. 59 sq., qui ipse naturae praeesse credebatur. Orph. hymn. XI, 3—4 Panem comitantur (et una cum eo coluntur?). Bacchum, quocum vites colunt, comitantes faciunt eas Panyass. ap. Athen. II, 36 D et Philoch. ap. Athen. II, 38, 7. Horaeorum autem festi dies, qui Athenis quotannis celebrabantur (cf. Philoch. ap. Athen. XIV, 656 A, Hesych. s. v. Ὡραῖα), quin ad illas deas, quae naturae praesunt pertineant nemo dubitat. Utrumque munus Horarum et tempora et naturam moderantium celebrat Pindari illud amoenissimum carmen, quo dies festos Nemeae celebratos canit.[2]) Apud Nonn. XLVII, 89 sq. hominibus potum ex floribus exhauriunt, cf. Nonn. II, 10—11.

Sed haec hactenus. Quamquam variis muneribus Horas functas esse ex locis supra allatis elucet, tamen omnia ad eundem fere sensum reduci possunt. Videmus Horas esse deas anni circuitum regentes, quae omnes res suo tempore advehunt et aetatis humanae et naturae, orbem rerum ad ipsam originem remeantium ratione certa dirigunt eaque causa ipsae singulas temporum partes significant, quae unoquoque anno suo tempore redeunt. Quod idem clarius etiam perspicitur ex ὥρας vocabuli usu, unde derivata esse Horarum nomina satis constat, quem invenimus apud Hom. Od. X, 469:

ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην, περὶ δ' ἔτραπον ὧραι

cf. Od. II, 107; XIX, 152 et saep. In illis locis ὥρα tempus significat divisum in partes constanter cursum servantes et unoquoque anno suo tempore redeuntes.[3]) Quod autem tempus minime firmitatem et perseverantiam habet, sed semper semperque omnia fluctuant, mirari non possumus, quod deae illum motum regentes saepe choros ducentes narrantur[4]), neque minus in artificum operibus tali modo Horae exprimuntur, de quo infra agendum est.

---

1) cf. Hermippi fragm. ap. Meinek. com. gr. frgm. II, p. 381, 3. 4. Hesiod., opp. 75.

2) Pind. Dithyr. III, 12 sq. (ed. Momms.). cf. Philostr. sen. imag. prooem.

3) Idem docent Pind. Ol. IV, 1 sq. Isthm. II, 23 s. anthol. pal. XIII, 28, ubi ab Horis dies festos suo loco adduci canitur. Nec longius absunt ab hac re Il. XXI, 450 sq. Soph. Oed. rex 156, Aristoph. Av. 696.

4) cf. (Hom.) hymn. Appoll. 194 sq. Callim. Epigr. 50, 1 squ. idem signi-

Ne unus quidem ex omnibus quos attulimus scriptorum locis nos docet, quantus sit numerus Horarum quibusque parentibus exortae sint. De utraque re certiores nos facit Hesiodus theog. 901 sq.:

Δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας,
Εὐνομίην τε Δίκην τε καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν,
αἵτ' ἔργ' ὠρεύουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι.

Quas deas prope ad naturam accedere antea demonstravimus, easdem nunc ad mores referre ex Hesiodeis versibus sequitur. Vicissitudinibus omnium non modo temporum, sed etiam rerum humanarum atque ordinibus praesunt, leges quibus mundus et terra et omnino coelestes et humanae res reguntur ab Horis institutas esse et semper administrari saepe legimus. Jure igitur Hesiodus Jovis et Themidis filias Horas facit iisque nomina „Εὐνομία, Δίκη, Εἰρήνη" attribuit, quibus nominibus satis clare indicitur iis deis rerum ordinem traditum esse.[1]) Quomodo illae Hesiodi Horae cum Homeri et ceterorum cohaereant non est difficile ad intelligendum. Cum tres esse Horas Hesiodus dicit, morem apud veteres semper usitatissimum sequitur ad significandum genus quoddam dearum inter se similium atque cohaerentium.[2])

Illas Hesiodeas Horas etiam apud alios scriptores invenimus atque nonnunquam eosdem quos Homerum etiam sequi supra demonstratum est. Pind. Ol. XIII, 6 sq. omnes tres profert et „χρυσέας παῖδας εὐβούλου Θέμιτος" vocat. Alio loco idem (frgm. sel. II, hymn. 1, 2, ed. Momms.) Themidis filias Horas dicit omissis nominibus atque numero. Tripartitum Horarum genus profert anthol. Pal. IX, 16, neque hoc quidem loco nominibus ornatum. Nomina

---

ficant vocabula περίδρομοι Orph. hymn. XI, 4, p. 64 Ab., χορίτιδες Nonn. XLVI, 158, κυκλάδες Nonn. XII, 17. cf. Michael. Ann. d. Inst., 1863, p. 296.

1) cf. Zoega, Bassir. II, p. 218: „Le prime (Ore), se non tutti gl'indizj m'ingannano, non aveano che fare direttamente colle stagioni, erano semplicemente le dee regolatrice del moto circolare di tutte le cose, e con cià in certo modo riguardo al tempo quel che le Mere o Parche riguardo allo spazio. Perciò sì queste che quelle sono figlie di Temide, ch'è la legge suprema, e di Giove rettore dell' universo; e nel tempo che le une il nome hanno dalla partizione, le altre l'han dalla terminazione." cf. Lehrs., l. c., p. 10.

2) E. c. Gratias Parcasque profero. Quin etiam Musarum tres initio fuisse una cum nominibus earum „Melete, Mneme, Aoide" tradit Paus. IX, 29, 2. cf. τριὰς Ὡρῶν Orphic. fragm. 129 Abelius. cf. Bie, de Musarum imagin. quaest. sel. Berol. 1887, pag. 6.

indicat et Jovis filias esse Horas dicit Diod. Sic. V, 72[1]) Themida Eunomiae matrem nominat Pind. Ol. IX, 15 sq.[2]) Hae sunt Horae, quas oraculorum peritas canit Pind. Ol. XIII, 16—17:

„πολλὰ δ'ἐν καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον
῟Ωραι πολυάνθεμοι ἀρχαῖα σοφίσμαθ'....,"

de qua re mirari desinamus, si in mentem revocamus Themida ipsam vaticinationis peritissimam fuisse, quae antequam Apollo oraculo Delphico potitus est eodem loco oracula edidisse dicitur.[3]) Horas vaticinationis gnaras esse dicunt Pindari illud „ἀλαθέας ῟Ωρας" (frgm. sel. II, hymn. 1, 2 Momms.), Nonni προμάντιες (VII, 179), ἐσσομένων κήρυκες (VII, 107; IX, 13).

Haec sunt quae in scriptorum libris traduntur de Horis antequam quatuor anni temporibus praeesse coeperunt. Illas autem Horas in deorum numero habitas esse inde sequitur, quod nonnullis locis cultus atque aras eis dedicatos fuisse legimus. Praeclarissimum Horarum cultum Corinthi extitisse testes sunt Pind. Ol. XIII, 1 sq., Paus. II, 20, 4. Olympiae Horarum aram positam fuisse iam supra commemoravimus (cf. Paus. V, 15, 3). Cum vero in Horarum templo Bacchi aram positam esse tradit Philoch. ap. Athen. II, 38, 7, sequitur illo loco Horas cum natura artissime coniunctas fuisse. Eandem ad rem facit Pan „συνθρόνος ῟Ωραις" Orph. hymn. XI, 4. (Ab. 64.) De Horaeis Athenis celebratis cf. p. 9.

Ex omnibus quos attulimus scriptorum locis sequitur non alteram de Horis opinionem alteram submovisse, sed vetustiorem semper in memoria haesisse quamquam nova orta erat, neve mireris, quod non semper una ab altera distincta atque segregata est. Nonnunquam utramque opinionem in unam confusam esse iam supra vide-

---

1) cf. Pseudo-Apollod. bibl. I, 3, 1. Hyg. fab. prooem. Cornut. περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσ. cap. 29, qui cap. 9 Jovem esse patrem Δίκης et Horarum dicit omittens Δίκην ipsam esse Horarum unam. Orph. hymn. 43, p. 81 Ab. Bergk. poet. lyr. gr. ed. II, p. 1073, No. 144.

2) Jovem et Themida parentes Horarum etiam in Hygini fab. 183 legimus, qui auctor novem esse Horas dicit, quarum omnium nomina profert, in his Eunomiam, Dicen, Irenen. Quid hoc sibi velit exposuit C. Robertus commentatione illa praeclarissima „de Gratiis Atticis" inscripta in comment. in hon. Th. Momms. pag. 149 sqq.

3) cf. Aesch. Eum. 2 sq. Eurip. Iph. Taur. 1259 sq. phiala rubr. fig. ornata Gerh. A. V. IV, 327, 328.

mus, quae eadem res planius ante oculos nobis perveniet, si monumenta perlustraverimus, quibus typis Horae expressae sint.

Monumentorum veterum quae ad Horas spectant ad nostram aetatem servatorum numerum perexiguum esse vehementer dolendum est, sed nonnulla eorum in scriptorum libris describuntur. Ex iis quae servata sunt vetustissimum certe est

1. Amphora nigris figuris ornata, Clusii reperta, Clitiae et Ergotimi clarissimum opus (cf. Mon. d. Inst. IV, 54. Wiener Vorlegebl. Ser. II, tab. 1 et 2). Inter deos ad Pelei et Thetidis nuptias advenientes tres Horas videmus titulo adscripto expressas. Nihil interest inter tres feminas, neque vero singulorum nomina indicantur aut insignia propria secum habent, ne id quidem satis certe cognoscere possemus, qui inter illos deorum ordines inter se simillimos Horas, qui Gratias Parcas Musas significare velit, nisi adscriptis titulis hac de re doceremur. Non dubium est quin illa pictura nobis demonstret, quomodo vetustissimis temporibus artifices illos deorum ordines typis exprimere soleant, nec minus certum est omnia in scriptorum libris descripta artis monumenta et inter se ipsa et nostro monumento simillima fuisse.[1]) Sunt autem haec:

2. Olympiae in Junonis aedibus vetustissimis Pausanias Horarum simulacra vidit „καθημένας ἐπὶ θρόνων.... παρὰ δὲ αὐτὰς Θέμιδος ἅτε μητρὸς τῶν Ὡρῶν ἄγαλμα“, illas Smilidis Aeginetae, hanc Doryclidae Spartani opus. Paus. V, 17, 1. Quoniam iam supra Horas cum Junone coniunctas invenimus, non sine causa Horarum simulacra in Junonis templo posita esse verisimillimum est.[2])

3. Erythris ante aedes Minervae Horarum Gratiarumque simulacra posita erant, Endoei Atheniensis opus. Paus. VII, 5, 9.

4. In Jovis Olympii throno tres Gratiae totidemque Horae erant positae, Phidiae Atheniensis clarissimum opus. Paus. V, 11, 7

5. „ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός“, certe igitur in throno positae ut in Phidiae opere Horae in statua Jovis Megarae positae erant,

---

1) Etiam recentioribus temporibus, cum in Graecia artes iam florebant, artifices eundem fingendi modum adhibuisse neque plane ac dilucide segregavisse inter deos simillimos inter se testimonio est monumentorum quoddam genus, de quo agunt Furtwänglerus, Mittheil. d. athen. Instit., III, p. 182 sq., Milchhöferus, Mittheil. etc., V, p. 206 sq., Robertus, de Grat. Attic. l. c.

2) cf. Milchhöf., Anf. d. Kunst in Griechenl., p. 168.

Theocosmi Megarensis opus. Paus. I, 40, 4, quibuscum coniunctas non Gratias, ut prius, sed Parcas tradit Pausanias.[1])

6. Gratiarum et Horarum figurae in corona expressae erant, qua caput Junonis simulacri in aedibus deae Argis positi ornatum erat, Polycliti Argivi opus. Paus. II, 17, 4.

In omnibus quae attulimus monumentis tres fuisse Horas expressas aut ex ipsius Pausaniae verbis intelligitur aut certissime concludi potest. Extant nonnulla, ubi non tam clara res est aut ab auctore silentio praetermittitur,

7. In throno Apollinis Amyclis posito bis Horarum simulacra effecta erant. Ac primum quidem

a. Caelatum opus in basi simulacri Apollinis nomino, ubi in concilio deorum Horas et Parcas invenimus Hyacinthum et Polyboeam ducentes. Quantus sit numerus Horarum et Parcarum Pausanias non scribit, ex qua ipsa causa equidem persuasum mihi habeo tres fuisse et has et illas. Non enim dubito quin Pausanias, si artifex alium numerum quam cultu, religionibus, traditione sanctum finxisset hanc rem minime silentio praetermisisset,[2]) praesertim cum in alio loco eiusdem operis duae modo Horae fictae essent, quam rem Pausanias certis verbis annotat:

b. Thronum Apollinis hinc duae Horae, hinc duae Gratiae sustinebant (Paus. III, 18, 10). Quibus causis artifex hoc loco alio numero ac religionibus sancito usus sit satis apparet. Cum enim illae quatuor figurae subsellii pedes quatuor essent, tres deas eiusdem ordinis artifices adhibere non potuerunt, quo factum est, ut ex tribus Gratiis tribusque Horis binas eligerent, quae subsellium fulcirent, quare opinionem illorum, qui duas fuisse Horas initio putant, hoc Pausaniae loco immerito niti existimo.[3])

---

1) Quoniam omnes tales deorum ordines inter se simillimos fuisse Clitiae Ergotimique opere docemur, nomina a Pausania tradita parvi momenti sunt. Theocosmi Parcae quin Phidiae non solum Gratiis, verum etiam Horis ipsis certe simillimae fuerint nemini dubium erit, quare utrum in Theocosmi statua Parcae an Gratiae expressae fuerint Pausaniae verbis non satis constat.

2) Overbeckius, Gesch. d. gr. Plast. I$^3$, p. 76, not. duas modo Horas totidemque Parcas fictas fuisse in illo de quo agitur anaglypho existimat. Quibus causis autem hanc opinionem defendit, illae non satis graves mihi videntur esse, quam quae illam inaequalitatem probare possint.

3) cf. Zoega, Bassiril. II, pag. 219. Reiecta est illa opinio iam a Roberto libello „de Gratiis Atticis“ inscripto in comment. in honor. Mommseni pag. 149 sq.

8. Utrum vel eadem vel simili causa artifex mensae illius Megalopoli in templo Cereris et Proserpinae positae, cuius descriptionem apud Paus. VIII, 31, 3 invenimus adductus sit, ut duas Horas in ea faceret, necne, dubium esse potest, cum brevis Pausaniae descriptio non satis sit clara, ut figura illius operis plane eluceat.

Jam transeamus ad aliud monumentum ad nostros dies servatum, dico

9. Pateram rubris figuris ornatam in Mus. reg. Berol. servatam, Sosiae Atheniensis clarissimum opus. (Furtw. Catal. No. 2278. ed. Ant. Denkm., herausgeg. v. Kais. Deutsch. Arch.-Inst. Bd. I, Heft I, tab. 9 et 10.) In deorum superorum conventu Horas tres videmus et ipsas titulo adscripto expressas. Sed multum interest inter hanc picturam et illud quod supra demonstravimus Clitiae et Ergotimi opus. Nam in illo vetustiore opere Horarum figurae inter se simillimae sunt, contra Sosias illas insignia ferentes fecit, quibus inter se differant, ac primam quidem ramum floribus exornatum, alteram ramum fructiferum, tertiam pomum maturum. Qua in pictura tres Atticas Horas significari titulo adscripto ipse opifex declaravit, nomina earum Thallo Auxo Carpo esse, quamquam nullus scriptorum locus tradit, tamen omnibus probavit Robertus libello „de Gratiis Atticis“ inscripto, quod iam saepius citavimus. Athenis Horas diebus festis celebratas cum natura ipsa coniunctissimas fuisse iam supra demonstravimus, cuius rei documenta sunt et nomina illa et insignia quae manibus tenent. Quin etiam alia re postea usitatissima et vulgarissima, cuius rei primum vestigium in hoc opere inesse mihi videtur, Horis anni temporibus praefectis aequiperantur. Videmus

At dicat quispiam non omnino denegandam esse eam opinionem, quod extat phiala quaedam nigris figuris rudi modo ornata in Mus. Univers. Würzeburgens. (Mon. d. Inst. X, 8; Wien. Vorlegebl. C, VIII), in qua Phineus a Boreadibus liberatus Harpyiis expulsis depictus est adstantibus duabus feminis, quae titulo adscripto Horae designari videntur. Quae cum ita sint, nonnunquam duplicem Horarum numerum in hominum animis fuisse denegandum non esset, si modo satis certum esset, utrum litterae adscriptae Horarum nomen significare velint an aliud. Sed cum mutilus sit titulus neque totus servatus — ultima enim littera non clare legi potest — sane res in dubio est. Quin etiam si quintae litterae reliquiae recte in tabula expressae sunt, fieri non potest, ut Jotam esse illam litteram censeamus, quamquam hoc affirmant et Urlichsius, Verzeichn. der Antikensamml. der Univers. Würzb. III, No. 354 et Brunnius, Bull. d. Inst. 1865, p. 50. cf. autem Urlichs. Beitr. zur Kunstgesch. pag. 30 Nr. 3.

enim in recentiorum temporum monumentis illam Horam, quae ad hiemem spectat, non solum densioribus vestimentis ornatam quam alias, sed etiam mitra tectam. Eundem secernendarum figurarum modum etiam nostra pictura praebet; tertia enim Hora caput mitra tectum habet, quod insigne utrique alterarum deest, quare hoc quidem Sosias pictura sua demonstrare voluisse et apud Athenienses in opinione populi fuisse videtur: prima figura ramum florescentem tenens illi anni tempori praefecta est, quo floribus terra ornatur, quare Thallo merito nominatur. Altera quae fructifero ramo dedita est, secundae anni parti praeest, in qua segetes crescunt et maturescunt, quamobrem Auxo nominanda est. Tertia maturum pomum praebens ad id anni tempus pertinet, quo fructus maturi colliguntur, quo natura requiescit neque novos fructus producit, quo homines fructibus fruuntur, cuius figurae nomen Carpo est.

Eiusdem monumentorum generis si ingentem fere numerum inspexerimus, raro modo Horarum figuras depictas inveniemus. Tamen non omnino desunt. Extant enim nonnullae phialae rubris figuris ornatae, in quibus Triptolemi missio picta est praesentibus aliis deis, in quibus etiam Horae nonnunquam cognoscuntur. Exortae sunt illae de quibus agitur phialae multo post Sosiae opus, sunt enim „im schönen Stil“ effectae, quare non mirandum est, quod multum interest inter has et illas Sosiae Horas, cuius opus „strengen Stiles“ est. Sed iam exempla proferre liceat:

10. Compte rend. 1862. Tab. IV = Overb. Atl. zur Kunstmyth. Tab. XVI nr. 13. A dextro Triptolemi latere duae Horae spicas sin. manu tenentes titulo adscripto designantur. Una alteri simillima est neque ullo insigni inter se seiunguntur.

Hac pictura adiuti etiam in nonnullis aliis phialis Horarum figuras cognoscere possumus, quamquam nomen non adpictum est:

11. Wien. Vorlegebl. ser. I. tab. 6 = Overb. l. c. tab. XVI nr. 15. Ab sinistro Triptolemi latere puella prae serpentibus sedens phialam eis offert. Paulo altius duae puellae stant, quarum una chitone dorico ita vestita est, ut totum sin. corporis latus cerni possit (φαινομηρίς Ibyc.) Altera chitone et pallio extructa est.

12. Overb. l. c. tab. XVI nr. 14. Etiam hac in pictura equidem tres Horas cognoscere velim dissentiens cum Brunnio, qui in libello inscripto „Supplem. zu Strubes Stud. üb. d. Bilderkr. v. Eleusis“ de eodem monumento agit et duas modo puellas Horas vocat. Sed

duas illas puellas artissime inter se coniunctas, quas Brunnius secernere vult, minime varias esse equidem mihi persuasi; si una ex iis Hora nominatur, alia aliud numen repraesentare non potest. Huic meae opinioni non impugnat, quod veste disiunctae sunt puellae, eandem enim varietatem iam in phiala No. 11 vidimus (agetur autem hac de re postea), tum sedens figura, in qua Horam etiam Brunnius cognoscit, ipsa aliter vestita est atque stantium utraque, quamobrem haec res non satis momenti est inter stantes puellas secernere.

Qui illas de quibus egimus Horas cum Sosiae vel potius cum Clitiae Ergotimique Horis comparaverit, multum interesse inter has et illas facile intelliget neque opus est longius hac de re disserere. Eorum operum artifices iam non longe absunt ab opinione Horas esse anni temporibus praefectas, nam quamvis insignia eis non tribuerint, tamen vestimenta, quibus puellae ornata sunt, anni temporibus veri aestati hiemi accomodaverunt, et si in aliis monumentis Hora aestiva seminudo corpore, Hora hiemalis densissimis vestimentis vestitae sunt, dubitare nun possumus, quin initium illius secernendi rationis in his de quibus egimus monumentis factum sit.

Eadem fere opinatus est artifex Romanus ille, qui fabulam Triptolemi illustravit et trium Horarum loco, quas in Graecorum phialis vidimus quatuor anni tempora virginali habitu expressa finxit. Dico de patera argentea Aquilejae reperta (Arneth. Monum. d. k. k. Münz- u. Antiken-Cabin. in Wien, vol. II, G V et saep.), quae quin graecarum phialarum exemplo effecta sit minime dubium est. Ne id quidem in discrimine est quatuor puellas, quae Triptolemi (ut ita dicam) currum circumdant Horas esse anni partibus praefectas, de quarum typis quibusque nominibus singulae nominandae sint alio loco agetur. Romanus enim, qui in Graeco opere Horas vidit, non potuit quin anni tempora illas esse censeret, et has pro illis supposuit.

Quod iam de recentioribus poetis monuimus, apud eos eandem de Horis opinionem inveniri atque apud vetustissimos, idem de artis monumentis dicendum est.[1]) Testis est

---

1) Extat sarcophagus Romanus (Wien. Vorlegebl. Ser. D tab. XI), in quo fictus est Prometheus hominem formans coram diis superis. Ab utroque latere in angelo superiore hinc Solem hinc Lunam curru advehentes cernimus, atque sub curru uniuscuiusque puellam chitone succincto et velo super caput volitante vestitam, unam alteri simillimam. Horas esse puellas, quas cum Solis tum Lunae comites esse apud auctores saepius commemoratur probabile est.

13. Ara Borghesiana quae dicitur, nunc Parisiis in Louv. Mus. servata (cf. Clar. Mus. de sculpt. pl. 173, 174. Müll.-Wies. D. d. a. K. I, 12, 13). Ut in monumentis a Pausania commemoratis nunc Horae cum Parcis nunc et saepius cum Gratiis coniungi solebant, ita haec ara in tribus lateribus omnes tres illas deorum societates fictas habet. Ex quibus quae Horas significent satis plane cum insignibus demonstratur tum eodem modo, quem iam in vascularibus imaginibus in usu invenimus. Sunt enim etiam hoc in opere tres figurae diverso quodam modo vestitae, quod eo minus fortuito factum esse videtur, quod cum Gratiae tum Parcae prorsus eodem modo vestitae sunt. Ac prima quidem Horarum, quae dextra manu ramum florescentem tenet, chitone ionico modo vestita est. Sequitur altera, quae dextra manu duas uvas tollens chitone dorico induta est parvulo velo dextrum bracchium circumdante, cuius alteram laciniam supra sinistrum umerum duobus digitis sinistrae manus capit. Tertia sinistra manu rem non omnino perspicuam tenet — facile enim dubites utrum palma an olivae ramus sit — tecta autem est non solum chitone ionico, verum etiam pallio, quo tota fere figura velatur. In recentiorum temporum monumentis quae ad quatuor Horas pertinent eadem potissimum ratione artifices usos esse mox ostendetur. Atque arae Borghesianae fabricatorem iis temporibus vixisse, quibus Horarum figuris quatuor anni tempora significari solebant, nemo certe negabit. Quamquam vero eum opere suo Horas vetustissimo habitu et Gratiis Parcisque simillimo fingere voluisse species ipsa docet, tamen eam distinguendi rationem adhibuit, quae tum, cum vixit maxime in usu erat.[1]) Facere enim non potuit, quin veris, aestatis (vel autumni) hiemis insignia iis attribueret. Insigne enim quod prima figurarum dextra manu tenet, ramum floriferum fuisse non ipsum monumentum nunc mutilum docet, sed imago quaedam in Cod. Cob. (Nr. 118, 2) servata, quae cum ara integra esset delineata est.[2])

Simili modo quem supra explicavimus orta esse anaglypha illa,

1) Confirmatur hoc monumento Helbigii sententia, Untersuch. üb. d. camp. Wandm. p. 68: „Ein einmal ausgebildetes künstlerisches Motiv wird von der späteren Kunst wiederholt, dabei jedoch nach dem Geiste der Epoche, in welcher die Reproduction stattfindet, und nach individuellen Absichten des reproducierenden Künstlers eigenthümlich abgewandelt.

2) Quid sit quod tertia figura manu tenet nec ipsum monumentum nec imago illa supra citata nos docet. Fortasse artifex ramum foliis orbatum fingere voluit vel ramum olivae, quae insignia saepissime hiemi attribuuntur.

quae Horas una cum Baccho (e. c. Clar. Mus de sculpt. 132, 110) vel cum Satyro (Mus. Capitol. IV, 43) coniunctas demonstrant mihi persuasi, sed longum est hoc loco accuratius hac de re disserere. De Horis saltantibus, de quibus multis locis legimus, supra dictum est. Restat ut monumenta nonnulla, quae huc pertinent enumeremus. Sunt autem haec: Ara in villa Albani servata (Zoega, Bassir. II, 96). Puteal Corinthi inventum, ubi inter alios deos etiam tres Horas choros ducentes esse verisimillimum est (Müll.-Wies. D. d. a. K. I, 11, 42). Pictura quaedam in sepulcro Scipionum quod dicitur servata, (Bellorius, Pict. ant. crypt. Rom. et sep. Nas. pag. 21 tab. 5). Alia monumenta vid. Clar. Mus. de sc. 120, 247; Winckelm. Mon. ined. 44. Nonnunquam Horis saltantibus praecedit Pan tibia canens, ut e. c. Bennd. - Schön. Mus. Later. No. 202 et 511, Dütschkius, Ant. Bildw. in Oberit. IV. 579.

Denique generis cuisdam anaglyphorum mentionem facere mihi liceat,[1]) in quibus tres puellae fictae sunt nunc insignibus expressis, nunc omissis.[2]) Nonnunquam in his monumentis Horas fingi verisimillimum est et nunc titulo adscripto, nunc insignibus probatur. Nam si unam ex tribus puellis coronam vel spicas manu tenentem cernimus, dubium esse non potest, quin eaedem figurae cum natura cohaereant. Tamen Michaelis (Ann. d. Inst. 1863 p. 292 sqq.)[3]) non recte facit, cum illas tres puellas tria anni tempora repraesentare existimat et singulis earum nomina tribuit. Quae sententia quamquam iis anaglyphis minime comprobatur, tamen non omnino falsam esse alterum genus monumentorum nobis demonstrat, de quo nunc agetur.

---

1) cf. Ann. d. Inst. 1863 tav. d'agg. L.

2) cf. Furtw., Mittheil. d. athen. Inst. III. p. 202; Milchh. Mittheil. etc. V, pag. 212, not. 1.

3) cf. Dütschkius, Ant. Bildw. in Oberital. I, p. 105; III, No. 531, qui simile anaglyphum describens Michaelis sententiam probat.

## Caput II.

### De monumentis, in quibus tres anni Horae expressae sunt.

Fuisse usum cum Graecae res florebant in tres partes annum dividere in praefatione huius libelli exposuimus. Cum autem tres esse deas iam antiquitus crederetur, quibus motus temporum regere deditum erat, minime mirandum est, quod easdem deas temporis vel potius anni partes repraesentare in hominum mentes venit. Quod factum esse antequam opinio illa de tripartito anno plane reiecta sit, i. e. ante initium tertii a. Chr. n. saeculi satis apparet. At obiciat quispiam eandem rem iam ex Sosiae opere concludi posse, sed hoc immerito. Quae enim in patera illa pictae sunt Atticae Horae certum et inter se coniunctum deorum ordinem repraesentant, quae omnes tres anni circulum regunt, neque haec unam, illa aliam anni partem propriam sibi habet. Propius ad rem accedunt vasorum imagines, ut supra explicavimus (pag. 22). Quod ne unum quidem monumentum iisdem temporibus effectum, quibus novam de Horis anni partibus praefectis opinionem exortam censemus, ad nostros dies servatum est vehementer doleo. Quae ad hanc aetatem duraverunt antiquae artis opera multo post illud tempus et a Romanis artificibus effecta sunt, ex quibus graecum archetypum concludi et restitui opus est.

Ac primum quidem monumentum profero, in quo id quod demonstrare volo, clarissime expressum est:

1) Gemma vitrea in Mus. reg. Berolin. servata (lin. non expr. cf. Tölk. erkl. Verz. d. ant. vert. geschn. Steine etc.: III. Cl. Nr. 1276).

Trium feminarum figurae insculptae sunt a sin. ad dextr. euntium. Ac prima quidem vestita est chitone ionico (manicato) et pallio, cuius laciniae a dextro bracchio pendent. Caput mitra tectum est. Dextra manus sublata patellam sive canistrum tenet, in qua fructus cernuntur, sinistra manu capream hinnuleumve trahit. Capud sinistrorsus vertit ad alteram figuram, quae tenero et molli incursu quasi saltans suspendet gradum (uterque pes digitis modo

terram tangit!) Vestita est chitone dorico alte cincto capillis in nodum collectis. Dextra manu duas spicas et papaver tenet, sin. coronam floribus compositam. Vestimenta quasi vento afflata sunt.[1]) Tertia figura non eadem corporis magnitudine est atque utraque praecedentium. Chitone vestita est, qui artissime ad corpus se applicat, cuius forma perfacile perlustrari potest. Ex veste autem sinum facit, in quo res feruntur mutiliores, quam quae omnino clare cognosci possint, quas tamen flores esse verisimillimum est. Oculos et ipsum caput in terram demittit, tota figura pudico castoque habitu expressa est.

Hae tres figurae quin ad anni tempora pertineant minime dubium est cum propter insignia quae singulis figuris tributa sunt, flores, spicas, fructus, tum inde, quod una provectior aetate altera est, et vestimento ita inter se differunt, ut aetate provectior eadem densioribus vestimentis vestita sit. Adde quod tres puellae artissime inter se coniunctae sunt, ut artificem eas sorores habuisse facile suspiceris.

Easdem tres figuras cernimus in anaglypho

2) Campana, op. in plast. tab. 62. Cum ex aliis rebus tum ex trium figurarum ordine rerum ordini contrario apparet huius monumenti auctorem bene ipsum ignorasse, quem ad finem figurae illae ab ipso imagine expressae spectarent.[2]) — Accedit

3) Anaglyphi similis fragmentum in Mus. reg. Berol. servatum, in quo mediae figurae caput et superior corporis pars cum manibus, quae spicas, papaver, coronam tenent, servatae sunt.

In nonnullis aliis monumentis earundem trium puellarum societas cum quarta quadam figura coniuncta est, quae cum ipsa Horae habitu ficta sit totam compositionem complere putatur. Si recta esset haec opinio, si re vera initio quatuor illae figurae in uno opere et ab uno eodemque artifice compositae essent, omnes quatuor inter se connexas et aptas esse eodem modo, atque inter tres primas exposuimus flagitandum est, i. e. quartam figuram aetate provec-

---

1) cf. Nonn. Dion. XI, 50, ubi ex omnibus quatuor Horis una aestiva Hora chorum ducere certis verbis narratur.

2) Tabulae illius cum duabus aliis compositio, quam Campana l. c. (cf. Arch. Zeit. 1851 tab. 26) profert reicienda est. Si re vera tres illae tabulae in unum corpus redigendae sunt, sane alterius locus cum tertia mutandus est, quod iam Wieselerus Ann. d. Inst. 1852 p. 227 not. 1 proponit. Tamen equidem compositionem illam libidine factam mihi persuasi.

tissimam ac densioribus vestimentis quam tertiam vestitam esse. Sed minime hoc factum est, ut testis est

4) Sarcophagus in villa Albani servatus. (publ. iur. fact. ap. Zoega, Bassir. I, 52. Overb. Gall. her. Bildwerke VIII, 8. Baumeist. Denkm. d. class. Alterth. p. 701). Ad dextrum huius monumenti latus novos maritos sedentes videmus, ad quos dona ferentes accedunt Vulcanus, Minerva, quatuor Horae, quas subsequuntur nonnullae aliae figurae, quarum de nominibus dubitari potest. Inter quatuor Horas easdem tres invenimus, de quibus supra dictum est adiecta quarta, quae hiemem significare vult. Velata est chitone atque amictu, cuius altera lacinia in acutum desinens ante pectus dependet. Pedes sunt calceati, crines in nodum coacti. Sinistra manu baculum incurvatum humero depositum tenet, de quo hinc anas, hinc lepus dependent, dextra aprum posterioribus pedibus secum trahit. Cum hiems extremum anni tempus sit, figura quae eam significare vult, si initio cum tribus aliis coniuncta fuisset, densissimis vestimentis velata atque aetate provectissima fingi debuerat. Sed minime hoc factum est. Nam cum tres illae figurae, de quibus iam saepe diximus, haud dubie sorores aetate disiunctae esse videantur, quarta illa ne speciem quidem affinitatis prae se fert. Winckelmannus, qui quantum inter se distent tres primae figurae ingeniosissime cognovit elegantissimeque verbis exposuit, de quarta nimis incaute verba fecisse mihi quidem videtur dicens Mon. ined. pag. 154: „Egli è ammirabile il veder la degradazione dell' età espressa nel volto e nell' attegiamento di queste quattro figure. La primavera ha sul volto e nell' atto un' aria verginale e innocente con gli occhi bassi e verecondi, come da poeti vengon dipinte le femmine non maritate e con la chioma legata nell' occipite, all' uso costante delle vergini. La state è più adulta, con lo sguardo e l'atto più libero e sciolto; l'autunno più che più e con il capo coperto di un panno, e l'inverno finalmente in un' età più avanzata di tutte l'altre." Qui illa Winckelmanni verba, quae ad quartam figuram (tribus aliis antecedentem) spectant cum ipsa figura comparat, erravisse illum virum doctum et secum ipsum pugnare facile intelliget.[1])

---

1) Quamquam saepissime a doctis viris de hoc monumento actum est attamen quid artifex exprimere voluerit minime manifestum est. Factum esse illud opus tempore quo Romae artes florebant unusquisque qui hoc monumen-

Simile quoddam intelligitur ex alio monumento et ipso Romanorum temporibus exorto:

5) Ara quaedam, cuius imago modo servata est in Cod. Cob. Nr. 134. In quatuor illius operis lateribus anni tempora expressa sunt virginum figuris. Inter illas feminas eandem quidem invenimus venatoria praeda onustam de qua agitur (sed brevi chitone succincto modo et bracis vestita est, quamobrem iuvenis videtur esse. Tamen muliebris illius figurae sexus pectoris forma indicatur). Tres aliae iisdem fere typis expressae sunt, qui ad significanda anni tempora usitatissimi sunt. Etiam hoc in monumento ut in sarcophag. Alban. hiemem designare vult illa puella, tamen artius cum trium aliarum choro non coniuncta est et proprietatem quandam habet.

Quae cum ita sint, equidem denegandum esse puto quatuor illas figuras, quibus in sarcoph. Alban. Horae repraesentatae sint, initio ab uno artifice inventas et compositas esse. Ex duabus partibus ille quatuor figurarum ordo compositus est, quarum altera constat ex tribus puellis inter se cohaerentibus, altera ex una femina quae in sarcoph. Alb. iis est adiecta praeda venationis onusta. Qua de re ideo dubitari non potest, quod accedunt nonnulla monu-

---

torum genus, sarcophagos dico, diligentius perquisiverit facile intelliget, itaque secundo vel primo p. Chr. n. saeculo factum esse illum sarcophagum dicere non dubitamus. Sed ne in hoc quidem monumentorum genere Romani sui fuerunt, sed Graecorum mores aemulati sunt. Graeci autem sarcophagos non concinna repraesentatione ornare solebant, sed undique singulos typos colligebant, quos in sarcophagorum anaglyphis compositos infirma ratione inter se coniungebant (cf. Matzius, Arch. Zeit. 1872 pg. 11 sqq.). Simili modo etiam hoc de quo agitur anaglyphum effectum esse puto. Pelei Thetidisque nuptias artificem fingere voluisse equidem censeo, sequitur enim ex ea re, quod coperculum sarcophagi aquatilium bestiarum figuris ornavit. Sed non ex suo ingenio fabulam illustravit, sed undique ex maiorum operibus notos typos collegit, qui quoquo modo ad rem sibi propositam pertinebant. Ineptus certe fuisset, si ex ingenti numero superorum, quos omnes nuptiis illis interfuisse legimus, Volcanum modo et Minervam et quatuor Horas elegisset, quarum si unam finxisset certe satis fecisset. Quae res eo adiuvatur, quod ex compositione, quam sarcophagus praebet, nonnullae figurae etiam in aliis monumentis inveniuntur, in his trium Horarum agrestibus rebus ornatarum figurae, quarta venationis praeda onusta, iuvenis coronatus facem amphoramque secum ferens (in poculo vitr. Cycici invento, cf. pag. 29). Quae opinio si a viris doctis probatur, de illa quoque figura ad extremum sinistr. lat. in opere posita quae sit dissensio finita est. Cuius typum aliunde depromptum esse vides, qui cum aliis figuris nullo modo cohaeret, praesertim cum illa figura ab aliis arbore interposita segregata sit.

menta, in quibus illa figura de qua agimus sive sola sive cum aliis coniuncte ficta est. Sunt autem haec:

Fragmentum vasis Arretini in Mus. reg. Berolin. servatum, in quo figura illa venationis praedam ferens ita ficta est, ut minime discrepet ab illa, quam in sarcoph. Alban. invenimus.

Vasis fragmentum aliud eiusdem vasorum generis alteri simillimum.

Gemma, (e gypso expr. ap. Cades, Impr. gemmar. XVII, Nr. 2). Figura de qua agitur sola expressa est similiter atque in vasis Arretinis.

Poculum vitreum Cycici inventum, nunc Londini in Brit. Mus. servatum (publ. iur. f. Rev. archéol. nov. sér. XXXVII, tab. VII, exemplar e gypso factum in Mus. reg. Berol. Nr. 860 A). Ornatum est illud poculum quatuor figuris, quarum una simillima est ei de qua agitur. Altera est figura iuvenilis capite coronato, sin. manu facem, dextra amphoram tenens, quae figura congruit cum una ex iis, quas in sarcoph. Alb. videmus. Tertio loco vir fictus est omnino nudus, qui utraque manu taurum humero fert. Idem vir in nonnullis aliis monumentis coniunctus est cum femina venationis praedam ferente, quorum monumentorum ex numero haec afferre mihi liceat:

Catal. del Mus. Camp. Class. IV, Ser. IV, Nr. 10.
Catal. del Mus. Camp. Class. IV, Ser. IV, Nr. 95.
Catal. del Mus. Camp. Class. IV, Ser. IV, Nr. 123.

Lineis expressum est unum ex illis tribus anaglyphis certe inter se congruentibus ap. Campan. opere in plast. tav. 61.[1])

Ex omnibus de quibus dixi monumentis unicuique probaturum me esse spero feminam venatorio habitu fictam initio non Horam fuisse, sed postea demum illis tribus figuris adiectam esse, quas arte coniunctas e. c. in gemm. Berolin. invenimus, quo factum est, ut quatuor anni tempora repraesentare possint. Si recta est haec mea opinio, trium figurarum ordinem inventum et primo in opere quodam expressum esse eodem tempore, cum illa de tripartito anno opinio apud populum ferebatur quis est qui neget? Pulchritudo ipsa et singularum feminarum et coniunctio omnium tam praeclare effecta satis demonstrat exortum esse illud opus eo tempore, cum artes

1) Accedunt duae tabulae ex argilla factae, quarum in utraque solus ille vir taurum ferens fictus est: Cat. d. Mus. Camp. Class. IV, Ser. IV, 109 et 111, tum gemma quaedam Mus. Worsley. II, 30.

florebant, neque a Romano, sed a Graeco artifice modo tantum et amoenum opus inveniri potuisse nemo certe negabit. Huc accedit, quod extant nonnulla opera quarto a. Chr. n. saeculo exorta, in quibus femina ficta est similis ei, quae in gemm. Berol. lancem fructibus onustam et capream secum fert. Sunt autem vasa rubris figuris ornata haec:

1) In Mus. reg. Berol. servatum (Furtw. Catal. Nr. 2705. Arch. Zeit. 1879, tab. X).

2) O. Jahnius, Vas. mit Goldschm. tab. II, Nr. 1.

3) O. Jahnius, l. c. tab. II, Nr. 3.

4) Heydem. Satyr- u. Bacchennam. tab.

5) Mus. Berol. Nr. 2706 (Arch. Zeit. 1873, tab. 4).[1])

Vestimenta quasi vento afflata, quibus saltans puella vestita est, primo nobis occurrunt in monumentis quae ipsa quarto a. Chr. n. saeculo exorta sunt, e. c. in anaglyphis, quae monumenta Xanthi et in „Giöl-Baschi“ servata circumdant. Tum vestes tam arte ad corpus se applicantes, ut formae perluceant, in vasis eiusdem fere temporis exprimi solebant. E. c. profero vasa a Jahnio l. c. publ. iur. facta et vas a Midia artifice effectum.

Sed redeamus ad id monumentum, cuius forma genuina in gemma Berolin. expressa est, ut singulis figuris nomina tribuamus. Omnes igitur tres ad anni tempora spectare per se patet. Ac prima quidem flores in sinu ferens idem anni tempus designat, ubi terra mater flores producit, quod tempus Graeci ἔαρ, Romani ver appellare solent. Quae procedit figura spicas et coronam manibus tenens eam anni partem designat, ubi agri fructus maturescunt et colliguntur, quare graece θέρος, latine aestas nominanda est. Restat tertia figura, in qua duo anni tempora coniuncta significantur, graece ὀπώρα et χειμών nominata, quae eadem coniunctio etiam in scriptorum libris invenitur (cf. pag. 9). Miretur quispiam, quod cum ὀπώρα non sit certum anni tempus, sed hiemis modo pars, illa figura, quae hiemem

1) Omnes illas figuras ex communi typo derivatas esse et inventum esse illud archetypum ab uno ex illustrissimis illis sculptoribus, qui quarto a. Chr. n. saeculo floruerint exposuit Robertus, Ann. d. Inst. 1879 p. 228 sq., cui immerito impugnat Heydemannus, Satyr u. Bacchennam. etc. pag. 6 not. 16. In eundem numerum habendam esse etiam hanc de qua agitur Horae figuram ut existimem eo magis adducor, quod femina illa in vas. Ber. (Nr. 1) ficta eodem fere modo vestita est ac femina similis in gemma aliisque monumentis expressa.

significare vult, fructuum insigni ornata est, qui ὀπώρᾳ magis quam hiemi proprii videntur esse. Cuius rei causa est, quod a natura assumptis modo insignibus Horas designare voluerunt artifices, atque quoniam hieme natura nihil producit, fructuum insigne Horae illi attributum est, quae et ad ὀπώραν et ad hiemem spectat. Neque ineptam esse eam distinguendi rationem unusquisque concedet, nam fructus ὀπώρᾳ collecti per totam hiemem nos delectant.[1]) Illa res novum testimonium nobis affert, quam arte illae tres figurae floribus, spicis, fructibus ornatae inter se cohaereant, ita ut quarta figura venatoria praeda onusta ab iis alienissima videtur esse.

Postea autem, cum opinio de quatuor anni Horis apud populum multum valeret, artifices coacti sunt in operibus suis quatuor figuras fingere, quae quatuor anni partibus praeessent. Tres figurae vetustioribus temporibus fictae iam in promptu erant, sed illa, quae hiemem cum ὀπώρᾳ coniunctam ad illud tempus designavit, deinde vel ad auctumnum vel ad hiemem ipsam referri opus erat. Cum fructuum insigne auctumno melius quam hiemi conveniat, auctumnalem Horam fructibus ornare nunc mos factus est. Sed deerat hiems, et cum natura ipsa nullum insigne ei tempori peculiare praeberet, alia distinguendi ratio requirenda erat. Itaque factum est, ut praeda venatoria Horae hiemali tributa sit, quoniam venandi tempus hiems praecipue putabatur.[2])

Ortam esse illam quam supposuimus opinionem et in artificum opera penetrasse eodem tempore, quod vulgo nomine „Hellenismus" significare solemus, cum ex ipsa re, tum inde elucet, quod eodem tempore Graeci venationi studiosius se dedere coeperunt. (cf. Helb. Untersuch. üb. die campan. Wandmal. pag. 274 sq.)[3])

---

1) cf. Virg. Georg. I, 299 sqq. Anthol. lat. II, 1034, 4. Si nostris temporibus apud dies festos, quos »Weihnacht« nominare solemus, pomi nucesque summi momenti sunt, illum morem ex eadem opinione ortum esse verisimile est.

2) cf. Virg. Georg. I, 307 sq. Horat. Carm I, 37, Satur. I, 2, 105 sq. et saep. Non recte igitur facit Woltersius (Friederichs. Baust. etc. ed. Wolt. Nr. 2010), qui illam figuram „Hore des Herbstes" vocat.

3) Ex omnibus quae supra dicta sunt satis clare elucet, cur impeditus sim, quominus in nominandis figuris Peterseniam sequar, qui Ann. d. Inst. 1861 pag. 208 sq. de magna parte eorundem monumentorum agit. Pet. illi figurae, quae vestis sinu flores fert auctumni, quae lancem fructibus impletam et capreolum tenet veris nomen tribuit, sed immerito, quod unusquisque mihi concedet. Causa

Quomodo quatuor Horarum typi in eorum monumentorum ordine, quae supra composuimus, expressi inventi atque in artificum operibus ficti sint eis quae antecedunt probare atque explicare conati sumus. Quandoquidem quatuor illae figurae ad unum ordinem compositae erant, haud mirum est, quod in nonnullis monumentis eae ita segregantur, ut duas modo in uno monumento inter se coniunctas inveniamus. Aestatem et Auctumnum praebent

Combe, Terrac. d. Brit. Mus. tab. 23.

Zoega, Bassiril. II, 95.

Catal. del Mus. Camp. Cl. IV, Ser. IV Nr. 117.

Ver et Hiemem

Combe, l. c. tab. 51.

Catal. del Mus. Camp. l. c. Nr. 119.

Tandem profero

Aram in Villa Albani servatam (Zoega, Bassiril. II, 94, Millin. Gall. myth. tab. 26 Nr. 92) in qua omnes quatuor figurae fictae sunt. Sed multum distat hoc monumentum ab illis, de quibus supra egimus. In ara Alban. enim omnes quatuor puellae eadem aetate esse videntur earumque ordo mutatus est. Adiecta autem est quinta figura utraque manu taedam tenens, de qua quo nomine vocanda sit adhuc ambiguum est.[1])

At festinemus ut ad finem huius commentationis partis veniamus. Fuisse tempus, cum tres modo Horae fictae sunt in artificum operibus, singulae singulis anni partibus praefectae ex monumentis quae enumeravimus probare volui. Quatuor figurarum compositio, quam in sarcoph. Alban. invenimus, utrum Graecorum an Romanorum temporibus effecta sit discernere nec nostrum nec magni momenti est. Quatuor autem Horarum fingendarum rationem hellenisticae aetati minime ignotam fuisse non tam opera artificum quam scriptoris locus testis est.

---

huius confusionis est, quod Peters. parietum picturas Pomp. servatas ad initium commentationis suae posuit et distinguendarum Horarum rationem, quam illic adhibitam invenit, ad illa monumenta, de quibus supra actum est, deferendam esse existimavit. Qui autem illa monumenta vel potius archetypum, de quo omnia derivata sint, Graecorum temporibus exorta esse sibi persuaserit, parietum picturas illis postponendas esse vix negabit, de quibus quomodo cum Graecis monumentis cohaereant aut ab illis discrepent alio huius dissertationis loco agetur.

1) Petersenius Ann. d. Inst. 1861 pag. 210 eam figuram Dianam vel Lunam vocare proponit, sed nec haec nec illa vocatio apta videtur esse.

Callixenus Rhodius, quem tertio a. Chr. n. saeculo vixisse satis constat, in libro suo περὶ 'Αλεξανδρείας inscripto magnificentissimam pompam describit, quam Aegyptorum rex Ptolemaeus Philadelphus (Ol. 124—133) Alexandriae duxit, et felici quodam casu factum est, ut Callixeni ipsius verba usque ad nostros dies servata sint ap. Athen. V, 198 a. b. Insunt in illa descriptione haec verba: „ταύτῃ (τῇ πεντετηρίδι sc.) δ'ἐπεκολούθουν Ὧραι τέσσαρες διεσκευασμέναι καὶ ἑκάστη φέρουσα τοὺς ἰδίους καρπούς.“ Hic habemus quatuor Horas, unam quemque peculiare insigne ferentem. Qualia fuerint illa insignia quod Callixeni verbis non docemur dolendum est, cum autem τοὺς ἰδίους καρποὺς φερούσας Horas dicat, vix existimandum est hiemalem Horam praeda venatoria onustam fuisse.[1]) In illa pompa non primum quatuor Horas fictas fuisse, sed processisse artificum opera, ex quibus opinio illa in populum descendere poterat verisimile est.[2])

Ex ipso illo tempore quod ne unum quidem monumentum, in quo quatuor Horae inveniuntur adhuc servatum est doleo. Quamquam ingens fere numerus monumentorum, quibus quatuor anni tempora ficta sunt, Romanorum temporibus exortus est, tamen Romanos in hac quoque re Graecorum aemulatores fuisse concedet, quisquis in ingentem numerum monumentorum adhuc servatorum, de qua re altera huius dissertationes parte agetur, inquisiverit.

---

1) Si vocabulum καρπός apud Callixenum suam propriam vim retinet neque omnino insignis loco, vernali Horae legumina fortasse tributa erant, hiemali ficus aut oleae, ex quibus oleam hiemi propriam esse testis est Virgil. Georg. II, 519:

„venit hiems! teritur Sicyonia baca trapetis.“

2) Merito Helbigius, Untersuch. üb. d. camp. Wandm. pag. 243 de Ptolemaei pompa dicit: „Da dieser Festzug allenthalben an Motive der bildenden Kunst anknüpft und recht eigentlich als eine Reihe von mit grossartigem Luxus ausgestatteten lebenden Bildern betrachtet werden kann, so dürfen wir als wahrscheinlich annehmen, dass . . . . etc.

## Pars altera.

### De quatuor Horarum typis, quomodo in artis monumentis expressi sint.

In Romanorum sive Graecorum, qui eodem tempore vixerunt vel scriptorum vel artificum operibus quatuor Horae saepissime nobis occurrunt. Nec desunt auctores, qui de origine earum novum aliquid memoriae tradant. Filiae anni vocantur Nonn. Dion. XI, 486, Solis et Lunae Quint. Smyrn. X, 337. Quod iam prioribus temporibus saepissime invenimus Horas cum deis Olympicis coniunctas esse, idem de quatuor anni Horis traditur. Saepius Solis comites et ministrae vocantur, quod a natura earum minime abest, cf. Ovid, Metam. II, 23—30. Nonn. Dion. XI, 485 sqq. XII, 15—19. Junoni ministras eas tribuit Quint. Smyrn. X, 334 sqq. Cereri Euseb. praep. evang. 114 b (III, 11, 38 ed. Dind.).

In artificum operibus Romanorum temporibus exortis duplici ratione Horae expressae sunt, aut virginali aut puerili habitu. Nec haec nec illa fingendi ratio ipsam rem tangit, quoniam nomina anni temporum, quae apud Romanos erant in usu, alium fingendi modum poscunt.[1])

Quae cum ita sint utrumque typum ex certa quadam causa profectum esse apparet. De virginali Horarum habitu quoquomodo exortus sit supra demonstratum est. Saepius autem et praecipue quidem in sarcophagorum anaglyphis puerorum figurae, quos Amores vocare consuevimus adhibitae sunt ad significanda quatuor anni tempora. Amorum figuris hoc modo Graecos post Alexandrum mortuum primo usos esse constat. Cuius rei testis est Aëtionis pictura, in qua Alexandri et Rhoxanes nuptiae pictae erant (cf. Luc. Herod. s. Aët. 4).[2]) Ab hoc tempore in artificum operibus saepissime

---

1) cf. pag. 6. Simile quoddam refert Helbigius, Untersuch. üb. d. camp. Wandmal. pag. 116 sqq.

2) cf. Brunnius, Gesch. d. gr. Künstl. II pag. 246 sq. Sitzungsber. d. Bair. Acad. 1876 p. 349. Helb. Untersuch. etc. pag. 242 sqq.

videmus Amores deorum hominumve mores et res ludo imitantes, imprimis autem deorum insignia ferentes. Cuius rei exempla fere innumerabilia sunt et unicuique satis nota, neque accuratius hac de re disserere opus est, quoniam saepius viri docti rem tractaverunt.[1]) Itaque non mirandum est, quod etiam Horarum insignia Amoribus tributa sunt, eoque modo factum est, ut anni tempora puerorum figuris exprimerentur. Non enim alio modo singuli pueri inter se distincti sunt nisi insignibus tributis, ad singulorum temporum propriam naturam artifices vix accedunt, nisi forte ille puer, qui hiemem designare vult, alio atque densiore veste indutus est quam ceteri. Quae cum ita sint illi pueri personae temporum non proprie vocari debent.[2])

Scriptorum loci duo potissimum sunt, in quibus Horae quatuor anni describuntur, quos proferre mihi liceat, quoniam ex iis artificum opera clarius illustrantur. Ac primum quidem afferam Ovid. Met. II, 26—30:

. . . . . positae spatiis aequalibus Horae,
Verque novum stabat, cinctum florente corona,
Stabat nuda Aestas et spicea serta gerebat,
Stabat et Auctumnus, calcatis sordidus uvis
Et glacialis Hiems, canos hirsuta capillos.[3])

Similiter quidem sed multo uberius describuntur Horae a Nonn. Dion. XI, 485—521 uno excepto Auctumno, cuius rei causa facile ex Nonni verbis ipsis elucet. Ovidi versus supplentur poëmate quodam Anthol. lat. II, 1035 quod inscriptum est:

---

1) cf. O. Müllerus, Handb. d. Arch. 391, 5. Helb. l. c. Furtwanglerus, Eros in d. Vasenmalerei pag. 83 sqq.

2) Extat alterum genus monumentorum, in quibus Terra mater circumdata est a quatuor anni temporum figuris puerili habitu expressis. Dico musivum Sentini repertum (Arch. Zeit. 1877 tab 3) et sarcophagos quibus Phaethontis fabula illustratur (Clar. Mus. d. sc. II 210. — Winckelm. Mon. ined. 43. — Romae, V. Borgh. lin. non expr.). In hisce operibus illam fingendi rationem adhibitam esse, quod anni tempora Terrae liberi sunt ex ipsa re elucet. Immerito autem conicitur ex his operibus illa alia, de quibus supra dictum est, derivata esse, quod Petersenius opinatur (cf. Ann. d. Inst. 1861 pag. 215).

3) In interpretandis illis Ovidi versibus ei mihi quidem errare videntur, qui Horas non easdem esse ducuntac Ver Aestatem Auctumnum Hiemem, sed illas ad diei duodecim horas, has ad quatuor anni tempora pertinere putant. Equidem mihi persuasi Ver Aestatem Auctumnum Hiemem easdem esse horas, quas Solis solium circumstare legimus v. 26.

### In picturam quatuor temporum.

Carpit blanda suis ver almum dona rosetis.
Torrida collectis exultat frugibus aestas.
Indicat autumnum redimitus palmite vertex.
Frigore pallet hiems, designans alite tempus.[1])

Versibus illis imaginem describi titulo inscripto indicitur, neque Ovidium versus suos scribentem picturae cuiusdam non meminisse verisimile est.[2])

Cum poëtarum verbis typi conveniunt, quos potissimum in artificum operibus expressos invenimus. Nunc mihi liceat exponere, quibus potissimum insignibus unaquaeque Hora notari soleat:

Ver . . . . . . floribus.[3])

Aestas . . . . spicis, nudato corpore, (vel omnino vel superiore modo parte) nonnunquam fructibus.

Auctumnus . . uvis vel insignibus quae pertinent ad vitium culturam; saepissime etiam fructibus.

Hiems . . . . . corpore velato, aetate provectissima, avibus aquis assuetis, e. c. anatibus.[4])

Eos potissimum typos in artificum operibus expressos inveniemus nunc omissis nunc adiectis scilicet quibusdam rebus ex libidine uniuscuiusque artificis. Tamen uterque scriptorum locus supra citatus certam regulam nobis praebet ad illustranda singula artificum opera nobis servata. Ex ingenti monumentorum multidudine, quibus fictae sunt quatuor anni Horae, duo potissimum genera segreganda sunt: dico parietum picturas in Campaniae urbibus effossas et

1) cf. Philostr. sen. imag. II, 34.

2) Nonnunquam Ovidi versus respicere ad artificum opera exposuit Helb. Untersuch. etc. p. 120.

3) Exceptae sunt parietum picturae Pompeis servatae, in quibus ad significandam vernalem Horam alia ratio adhibetur. Qua de causa hoc factum esse mox explicabitur.

4) Quid velit hoc insigne in discrimine est inter viros doctos. Stephanius Compte rend. 1863 pag. 97 sqq. venatoriam praedam esse anates putat, quod hiemis insigne iam supra invenimus. Contra O. Jahnius, Ber. d. sächs. Ges. d. W. 1848 pag. 25 existimat aves illas aquis assuetas designare hiemem aquosum potissimum anni tempus esse. Equidem O. Jahnium sequi malim, cuius opinio iuvatur altero hiemis insigni, quod in novioribus monumentis saepissime ei attribuitur, arundinem dico vel folia arundinis, quae certe aquosam hiemis naturam designare volunt (cf. Petersenius, Ann. d. Inst. 1861 pag. 207). Accedit quod arundo hieme secari solebat (cf. Ovid. Fast. 185 sqq).

sarcophagos Romanos. Qua re de utroque genere seorsum agam. Tertio capite reliqua monumenta collegam, quae ad Horas pertinent.

Ut ad initium de parietum picturis dicam, tres potissimum causae me adduxerunt: Ac primum quidem omnes illae picturae eodem fere tempore exortae sunt, tum prope omnes (exceptis nonnullis earum, quae non in Campaniae urbibus, sed aliis locis repertae sunt) aetate priores sunt ceteris monumentis, denique eae artissime cohaerent cum Graecis monumentis, quo ex fonte Romanorum opera orta esse prima huius commentationis parte demonstrasse mihi videor. Sed iam transeamus ad propositum.

## Caput I.

### De parietum picturis.

Pleraeque picturae parietum repertae sunt in Campaniae urbibus a Vesuvio obrutis et nostris quidem diebus effossis, itaque de illis potissimum hoc capite agendum est adiectis paucis quae aliis locis inventae sunt.

Has parietum picturas a Graecorum arte dependere cum ex virginali figurarum habitu (nam ne una quidem extat pictura, cuius auctor puerorum figuris usus est ad significanda anni tempora, cf. pag. 47 sq.) tum ex ea ratione quomodo figurae ad ornandas parietes adhibitae sint probatur. Plerumque enim singulae figurae in media parte parietis in aëre quasi pendentes pictae sunt, cuius exornandi rationis inventores Graecos fuisse et quidem post Alexandri magni tempus viventes exposuit Helbigius (Untersuch. üb. d. campan. Wandm. p. 110.)[1]) Cum Helbigio convenit Burckhardus, Cicerone p. 723, cuius verba ad illustrandas illas figuras aptiores sunt, quam quae omittere silentio possimus: „Den unmittelbarsten und ungestörtesten Eindruck griechischen Geistes machen aber (nach meinem Gefühl) überhaupt nicht die vollständigen Gemälde, sondern jene zahlreichen decorativ angewandten einzelnen Figuren und Gruppen, welche theils auf einfarbigem Grunde stehen, theils zur Belebung der gemalten Architectur, der Capellchen, Pavillons, Balustraden u. s. w. dienen. Die besten derselben können nur in der Zeit der höchsten griechischen Kunstblüthe erfunden worden und dann Jahrhunderte von Hand zu Hand gegangen sein, bis sie unter Anderem auch in der kleinen Stadt am

1) cf. Helb. l. c. pag. 137, ubi Alexandriae illam parietum ornandarum rationem exortam esse atque inde totum orbem peragrasse exposuit (cf. Schreib. Mitth. d. Ath. Inst. X pag. 399 sq.). Summi momenti est, quod Alexandriae Athenaeo auctore primum quatuor Horas fictas invenimus in pompa Ptolemaei Philadelphi, cuius pompae singulas figuras ex artificum operibus dependere supra expositum est (cf. pag. 33). Quae cum ita sint, Alexandriae inventos esse quatuor Horarum typos, qui iterum iterumque reproducti sunt in posteriorum temporum operibus verisimillimum est.

Vesuv ihre Anwendung fanden. Die Maler lernten sie ohne Zweifel am besten auswendig und reproducirten sie am unbefangensten." Illae quasi in aëre pendentes figurae, quae in firma pariete certe non suo loco sunt, inventae sunt fortasse ad exornanda tapeta atque velaria, quae prioribus temporibus saepius parietum loco in usu fuerant. Romanorum artifices pingendi ratione speciem tapetorum in parietum loco efficere conati sunt eas eodem modo exornantes atque tapeta.[1])

## *A De figuris quasi in aëre pendentibus.*

Cum ex quatuor figuris, ex quibus constat Horarum chorus una modo in media parietis parte fingi possit, non semper omnes quatuor Horas fictas esse nemo miratur. Quin etiam rarius illa compositio completa nobis occurrit, saepius tres, nonnunquam duae modo Horae in uno conclavi unitae sunt. Ad extremum etiam singulae figurae Horarum typis expressae inveniuntur.

### a. Omnes quatuor Horae in uno conclavi coniunctae.

Sin parietum picturas inquiremus, in quibus omnes quatuor Horae expressae sunt, inveniemus, quo iure illa monumenta, de quibus partis I. cap. II. actum est, ab aliis segregata sint. Quamquam enim et haec et illae Romanorum temporibus exorta sunt, tamen multum interest inter hoc et illud monumentorum genus, quae quantum inter se differant exponemus, si in picturas ipsas inquisiverimus. Sunt autem hae:

1) Pompejis, Casa di Ganimede. (publ. Zahnius Pomp. Hercul. Stab. tab. 21—22. Mus. Borbon. XIV, tab. 2 et 32. cf. Helb. campan. Wandgem. Nro. 975, 981, 989, 1000.)

Ver. Chitone succincto vestitum est. Calceatum. Dextra manu fiscinam tenet completam alba re non omnino clara. Sinistra manu quatuor pedis palmas tenet agni, qui unicuique umero impositus est. Capillis corona implexa est foliis composita.

Aestas. Velum cruribus circumdatum est superiore corporis parte nudata. Pedes discalceati. Sinistra manu falcem tenet.

---

1) cf. Semperus Der Stil I. pag. 283; „Dieser Gebrauch tritt ausserdem an den Wandmalereien Pompejis, deren Motiv eben nichts weiter als die Nachahmung solcher mit Draperien und Scherwänden ausgestatteter Stoen und Hallen ist, auf eine Weise deutlich hervor, dass es wahrlich keines weiteren Nachweises desselben aus den alten Schriftstellern bedarf."

Auctumnus. Chitone succincto indutus est. Pedes calceati. Sinistro genui sublato calathus impositus est fructibus impletus (pomi, uvae cognoscuntur), cuius ansam sinistra manu prehendit. Dextra manu ramum tenet foliis pomisque tribus exornatum. Capiti corona imposita est, quae constat ex hederaceis vel pampineis foliis.

Hiems. Velum magnum densissimumque toti corpore circumdatum est, ut utrumque bracchium quoque obtegatur, altera lacinia a tergo capiti imposita. Pedes calceati sunt. Dextra manu duas aves tenet, (anates?) sinistra sarmentum avidum.

2) Pompejis. Strada d'Iside Nr. 9 Lineis non expressa. Helb. campan. Wandgem. Nro. 978, 982, 988, 1002.

Ver. Velo non succincto velatum, coronatum (quomodo corona composita sit Helb. non refert). D. manu ut supra fiscinam tenet, sin. pedum.

Aestas. Vestita sicut in pictura supra descripta, coronata, d. manu falcem, sinistra calathum spicis impletum tenens.

Auctumnus. Velum cruribus et sin. bracchio circumdatum est (superiore corporis parte nuda?) coronatus, sin. manu calathum, dext. vitem uvis ornatam tenens.

Hiems. Chitone, pallio, rica, caligis vestita, sinistra manu avidum sarmentum tenet, de quo anates dependent, eadem et altera manu ex veste sinu facto in quem quaedam res impositae sunt non omnino clarae, sed fructibus similes.

3) Descriptae sunt quatuor figurae anni tempora significantes in Bullet. d. Inst. 1885 pag. 248—249. Quae servata sunt congruunt cum picturis Nr. 1 et 2.

Hae quidem sunt picturae Pompejanae, quae quatuor anni temporum ordinem nobis praebent. Accedit

4) Romana pictura, servata in sepulcro Nasonum quod dicitur. (Bellorius, Pict. ant. crypt. Rom. et sep. Nas. XXI—XXII. Hirtius, Bilderbuch etc. tab. XIV, Nr. 5.)

In hac pictura novum aliquid nobis occurrit. Unum quodque enim anni tempus non una modo figura, sed duabus repraesentatum est, ex quibus una masculi altera muliebris generis est. Insignia, quae in hac pictura inter duas personas distributa sunt, iis quae supra citavimus, non dissimilia sunt. Ex illis duabus figuris, quae ad hiemem pertinent, vir senili habitu fictus est, conveniens cum Ovidiano „canos hirsuta capillos.“ (Met. II, 30.)

Hoc loco adiicere liceat:

5) Picturam in sepulcro ad latinam viam sito servatam. (Mon. d. Inst. VI, tab. 53 cf. Ann. d. Inst. 1861 p. 190 sqq.)

Nimirum in hac pictura non omnia quatuor anni tempora neque totae figurae expressa sunt, sed servata sunt duo modo capita virginali habitu, quae ad aestatem auctumnumque pertinere spicis pampinove indicatur. In alteris angulis huius camerae duo capita adeo diruta sunt ut cognosci non possit, utrum haec quoque Horarum fuerint necne (Petersenio auctore). Tamen hoc verisimillimum est, et quoniam tum hoc quoque loco completum quatuor anni temporum circulum habemus, illam picturam hoc loco adiicio.

Parietum picturae, quae omnes quatuor Horas repraesentent, aliae non extant. Quisquis comparat picturarum typos cum illis, quos in anaglyphis expressos supra invenimus, multum inter hos et illos interesse animadvertet, neque dubitari potest, quin picturarum auctores aliud archetypum imitati sint quam anaglyphorum fabricatores Quae sit causa illius diversae fingendi rationis inquirere conemur. Miretur quispiam, quod vernalis Hora in picturis expressa ei est simillima, quae in anaglyphis auctumnum significat.[1]) Pecus enim, quod in anaglyphis auctumnalis Hora secum trahit, in picturis Ver humeris sibi imposuit et quatuor pedis palmas manu prehendit. Caprea autem vel hoedus Auctumno tribuuntur, quod illud pecus Baccho et sacrum est et victima illi deo datur; nam vitem Baccho sacram hoedus laesisse narratur.[2]) Itaque Bacchi comites Satyri vel Bacchae in artificum operibus capreas vel capras hoedosve foventes exprimi solent,[3]) et nebris, qua saepe Satyri Bacchaeque et ipse Bacchus induti sunt, eiusdem pecudis pellis est. Bacchi autem donis non auctumno modo, sed etiam vere homines delectari apud veteres credebatur.[4]) Itaque Athenis Bacchi dies festi anniversarii vere agebantur. Vernale autem tempus pecori suavissimum est, et apud Romanos Fauno, cui deo vernum anni tempus potissimum sacrum

---

1) Illa similitudine adductus et picturarum typos priores existimans Petersenius falsa vocandi ratione usus est, ut supra explicavimus (cf. pag. 31 not. 3).

2) cf Ovid. Metam. XV, 114—115, Hor. carm. III, 8, 1—8.

3) cf. statuas ap. Clar. Mus. de sculpt. pl. 726 E, Mus. Capitol. III, 34. — pictur. vascul. Wien. Vorlegebl. Ser. D, tab. I et VI et saepp.

4) cf. Eurip. Cycl. 507 sqq. Hor. l. c.

est, agni sive hoedi immolari solebant.[1]) Quae cum ita sint, quod vernali Horae agnum insigne tribui solet non mirandum est, neque haec fingendi ratio a veterum moribus abhorret.[2])

In picturis Pompeian. Veris figura altera manu fiscinam tenet alba quadam re impletam, quae non omnino clare cognosci potest (Helb. campan. Wandgem. in describendis illis figuris „ricotta“ eam rem vocat). Fortasse lac concretum est. In aliis enim picturis Ver situlum vel potius mulctrum fert, et illa insignia fortasse notare volunt ver esse tempus ad mulgendum aptissimum. Venit mihi in mentem Homeri Il. II, 469—473, ubi mentio fit mulctrarum lacte impletarum, quae „ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ“ in stabulis positae sunt circumvolitatae a muscarum ingenti examine. De vernali tempore hoc loco certis verbis dicitur, quocum convenit circuitione quadam Hes. opp. et d. 582 sqq., qui auctumnale tempus ad eandem rem valde ineptissimum esse dicit. Quoniam ex illis omnibus rebus elucet ver esse tempus pecori suavissimum, nihil miri habet, quod Horae vernali et in picturis et in aliis operibus pedum attribuitur.

Cum Veris tum aliarum trium Horarum typi in picturis expressi discrepant ab iis, quos in anaglyphis invenimus. Auctumno fructus tribui solent, quos vel in calatho vel in vestis sinu secum fert. Aestas seminuda et saepe falcem tenens, Hiems densissimis vestibus induta pingi solent.

Quae cum ita sint picturarum artifices aliud exemplum imitari quam anaglyphorum fabricatores satis illustratur. Anaglyphorum archetypum inventum esse eo tempore, cum tres anni tempora totidemque Horas esse credebatur supra explicare conati sumus. Contra picturarum exemplum artificem Graecum invenisse puto, qui uno

---

1) cf. Hor. carm. I, 4, 9—12:

„Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
aut flore terrae quem ferunt solutae:
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
seu poscat agna, sive malit hoedo.“

cf. carm. III, 18, 5. Caesarum ovium pellibus incubuit, qui Fauni oracula petivit, cf. Virg. Aen. VII, 81 sqq. Ovid. fast. IV, 619 sqq.

2) Aliud quoque animal, pantheram dico, ab artificibus Romanis et Veri et Auctumno comes dari solet. Testis est situlus argenteus prope Viennam repertus (Ann. d. Inst. 1852 tav. d'agg. L), in quo quatuor anni tempora virginali habitu expressa sunt in notis animalium strata, ex quibus cum Auctumnus tum Ver pantheris trahuntur. Tum Veris comitem pantheram in sarcophagis Romanis saepius inveniemus.

impetu quatuor Horarum chorum illustrare voluit, neque Alexandriae hoc factum esse non verisimile est (cf. pag. 38 not. 1).

### *b. Tres Horae in uno conclavi coniunctae.*

α) Ver — Aestas — Auctumnus.

1) Pompejis, casa del poeta. Helb. camp. Wandgem. 977, 986, 990. Aestas lin. express. ap. Zahn, Neuentd. Wandgem. in Pomp. tab. 22. Ver et Aestas ab solita fingendi ratione non multum discrepant, Auctumnus manu d. ansatam fiscinam tenet fructibus impletam.

β) Ver — Aestas — Hiems.

1) Pomp. Reg. VII, ins. 15ª n. 72. (Soglianus, le pitture murali campana Nr. 459, 460, 464. cf. Bull. d. Inst. 1872 pag. 166—167. Fior. Scav. d. Pomp. n. 270, 273, 181; Descr. Pomp. p. 305). Ver et Hiems novum aliquid non praebent (anates Hiemis insigne Sogl. dirutas refert, sed vidit eas Gaedechens, Bull. d. Inst. l. c.). Aestas utraque manu, ut Sogl. dicit, calathum floribus impletum fert, quem sinistro genui imponit. Utrum recte Soglian. in illa figura Aestatem cognoverit, au Auctumnum artifex fingere voluerit eodem typo ut in casa Ganimede (Helb. Nr. 989) equidem discernere non possum, cum illa pictura nondum lineis expressa sit.

γ) Ver — Auctumnus — Hiems.

1) Pomp., casa di Modesto. (Zahn, Pomp. Hercul., Stabiae III, 44. Helb. Nr. 979, 994, 1001.) Auctumnus et Hiems ut solitum expressi sunt. Ver Zahnio et Helbigio auctoribus sin. manu coronam fert, dextra lepus, quod veris insigne nondum invenimus et quod quomodo cum Vere cohaereat non omnino clarum est. Itaque artificem agnum fingere voluisse verisimile est. Quod Helbigius ab hac opinione dissentit pictura adductus, quam sub. Nro. 980 describit, hoc parvi momenti est, quoniam etiam in illa altera pictura utrum lepus an agnus expressus sit non certe pronuntiat.

2) Pomp., Vicolo del balcone pensile (Helb. l c. Nr. 976, 992, 1003). In hoc picturarum ordine Hiems modo discrepat ab solita fingendi ratione. Ex velo enim sinum efficit, in quo Helbigio auctore res non omnino clarae ad cognoscendum impositae sunt.

δ) Aestas — Auctumnus — Hiems.

1) Pomp., Reg. VII, Ins. 2ª n. 44. (Soglian. l. c. Nr. 461, 462, 465. cf. Giorn. Scav. Pomp. n. s. I, pag. 90. Fiorell. Scav. di Pomp.

Nr. 274, 277, 282. Descr. Pomp. pag. 188.) Omnes tres iisdem typis expressae sunt, quos saepius invenimus.

### *c. Duae Horae in uno conclavi coniunctae.*

Etiam in his picturis vario modo Horae compositae sunt. Quoniam typi non multum discrepant ab solitis, satis habeo paucas picturas enumerare.

α) Ver — Hiems.

1) Pomp., Strada Nolana (Helb. Nr. 980, 999).

β) Aestas — Auctumnus.

1) Pomp., Strada d'Olconio Nr. 3—5 (Helb. l. c. Nr. 984, 993).

γ) Auctumnus — Hiems.

1) Pomp., casa del forno di ferro (Zahn. l. c. II, 8. Helb. 991.) Hiemis picturam nunc dirutam Helb. non vidit neque enumerat in libro suo. Olim fictam esse illam Horam auctumnali oppositam testatur Zahnius l. c.

2) Pomp., casa della caccia antica. (Mus. Borb. XII, 18. tabulam illam ab ipsa pictura discrepare refert Helb. l. c. Nr. 987, 998.) Auctumnus praeter calathum fructibus impletum tenet coronam et eandem fructibus compositam, Hiems sarmentum avidum cum anatibus una, altera manu situlum tenet. Adiecit artifex huius operis nonnulla insignia aliena ab Horis.

### *d. Singulae Horae.*

α) Ver.

1) Pomp., Reg. IX, Ins. 15ª n. 11 (Soglian. l. c. Nr. 466. cf. Notiz. d. Scav. d'Ant. 1877 pag. 250). Soglianus nomen veris in dubium vocat his verbis illam figuram describens: „Figura muliebre librata in aria coronata di frondi, con veste verde e manto giallo, la quale porto sul collo un agnello, le cui zampe essa tiene con la sin., mentre con dr. regge un canestro: probabilmente la primavera." Si recta est illa descriptio, minime dubitari potest, quin in illa figura ver repraesentatum sit neque intelligere possum, cur. Soglian. cunctetur illud nomen ei tribuere.

β) Aestas.

1) Pomp., nunc servata in Mus. naz. Napol. (Helb. Nr. 983) typus solitus falce et calatho spicis impleto ornatus.

2) Stabiis, nunc servata Parisiis in Louvre. (Helb. Nr. 985.) figuram ei de qua agitur simillimam lineis expressit Zahnius l. c. I, 4, neque reiciendum est, utramque ad eandem picturam attinere. cf. Helb. l. c.

γ) Auctumnus.

1) Pomp., vicolo di Modesto (Zahn, l. c. II, 47., Helb. Nr. 995). Fructus in sinu ferens ut auctumnus fingi solet, quare immerito Helbigius dubitare videtur, utrum Auctumnus expressus sit necne. Similiter sunt repraesentatae utraque sequens.

2) Pomp., casa dell'argenteria (Mus. Borb. VII, 40. Helb. Nr. 996).

3) Pomp., nunc Mus. naz. Napol. (Mus. Borb. VII, 39. Helb. Nr. 997). Typus aliquomodo discrepat ab solitis, quare hic dubitare possumus, utrum auctumnalis Hora ficta sit, necne.

4) Arch. Zeit. 1877 pag. 25 Nr. 19 inter picturas Pompejis effossas refertur „Herbst-Hore." Quomodo nota sit illa figura silentio omittitur, itaque proferre modo picturam hoc loco satis habeo.

δ) Hiems.

1) Pomp., casa del poëta (Zahn. l. c. I, 23, Helb. Nr. 1004). Typus idem est ac quem invenimus in vicolo del balc. pens. Nr. 9. Helb. Nr. 1003.

Quatuor Horas equidem cognoscere velim in alia pictura, de qua prius non actum est, quod non Horae solae, sed alius repraesentationis participes fictae sunt. — Circumstare quatuor Horas Solis solium apud Ovidium cum Phaethontis fabulam narrat legimus (Met. II, 26 sqq.) Hanc rem illustrari puto

Pictura in Titi imperatoris thermis servata (cf. Ponce, therm. Tit. tab. XI sqq.). Videmus (tab. XII) iuvenem deum in solio sedentem circumstantibus quatuor feminis, ad quem accedit puer poculum utraque manu tenens et deo illi afferens. Quam picturam simillimam esse sarcophagis in quibus Phaethon a patre currum petens fictus est[1]) per se patet, quare equidem mihi persuasi etiam pictura illa

1) cf. 1. Sarcoph. in Ince Blundell Hall (Michael., Anc. Marbles in Great Brit., pag. 374.
2. Sarcoph. in Vigna Pacca olim servat. (Ann. d. Inst. 1869 tav. d'agg. F.).
3. Sarcoph. Veronae servat. (Maffeius, Mus. Ver. LXXI, Wieselerus, Phaeth. tab. Nr. 2).

Phaethontis fabulam illustrari. At si omnia quae nunc oculis cernimus in Poncii tabula iam a vetere pictore picta sunt, mea opinio reicienda est. Nam deus pateram manu tenens corona pampinea crinibus implexa non Sol, sed Bacchus est, quamobrem poculum ei afferens certe Phaethon nequit esse. Sed picturam antiquam tam illaesam, quam in Poncii tabula vidᵉmus, ad nostros dies servatam esse incredibile est, quare speciem picturae apud Poncium ab imaginis illius pictore effectam esse puto, qui nescius quid ab artifice vetere fictum sit, suo Marte antiquam picturam restituit. Eadem res, quam ex ipsa imagine coniecimus, apparet ex duabus aliis picturis in eadem camera servatis, quarum in utraque duo viri ficti sunt unusquisque loro equum ducens adstantibus binis puellis. Has quoque figuras sarcophagi declarant. Ventorum enim quatuor dei sunt, qui Solis equos adducunt curru iuncturi, quem Phaethon ascendere vult. Quae igitur res in sarcophagis in uno eodemque monumento fictae sunt, hic in tres picturas dispertitae sunt, quae arte inter se cohaerent, si recta est interpretatio mea. — In media pictura quatuor virgines solium dei sedentis circumstantes Horae sunt, quae inter se similes sunt ea excepta ad extremum sinistrae lateris posita, quae multo densius vestita quam tres aliae Hiemem certe repraesentare vult. Juxta pedes eius humi stat calathus uvis completus, qui secundae figurae proprius videtur esse, ita ut Auctumnum eam nominare possis. Ex duabus reliquis quae Ver quae Aestatem designare velit ex ipsis figuris vix intelligitur. Si naturam sequimur, eam figuram, quae ab Sole propius stat Aestatem, ad extremum dextri lateris positam Ver vocabimus. Quatuor quoque puellas, quae in duobus aliis picturis cum iuvenibus coniunctae sunt Horas esse et numero quidem probatur et convenit cum eo, quod supra de Horis demonstratum est (cf. pag. 14).

---

Ad extremum huius partes picturas quasdam profero, quae ab nonnullis viris doctis in Horarum numero iniuria habentur.

Sunt autem haec:

1) Hercul., Mus. Borb. XI, tab. 5, cf. Antich. di Ercol. V pag. 187. Puella quasi pendens in aëre, fructus in sinu ferens, caput corona ornatum, manu sin. ramum foliis ornatum tenet.

2) Antich. di Ercol. V pag. 175. Puella quasi pendens in aëre, quae manibus calathum fructibus impletum sustinet.

His addenda est

3) Pompejis, Reg. V, Ins. 1ª n. 14, quam figuram Soglian. l. c. Nr. 463 his verbis describit: „L'autunno personificato in una donna, stante sopra una base verde, con ali pavonazze e cinta il capo di una tenia pavonazza e d'una corona di vite; ha scarpe gialle, una sottoveste verde con lunghe maniche, e sopra questa un chitone cinto, che superiormente e pavonazzo, e nella parte inferiore giallo con orlo pavonazzo. Alza il chitone sino alle cosce e vi porta frondi e frutta." Soglianus Auctumni nomen illi figurae attribuit auctore Augusto Mau, qui Bullet. d. Inst. 1877 p. 94 sqq. eodem nomine illam significat et simul duas alias figuras profert, quibuscum in pictura nostra figura coniuncta est, quas Horas nominare minime licet. Itaque num recte figurae de qua agitur auctumni nomen tribuitur dubium est, et equidem nec hanc nec utramque aliam figuram Auctumnum vocare velim. Omnes tres picturae deas significant, quae fructus ad maturitatem ducunt hominibusque praebent, quae quidem certis nominibus carent. Si quis nominibus carere non potest, Pomonam vocet.

Completus est numerus earum picturarum, in quibus Horae satis certe cognosci possunt. Extant nonnullae, in quibus quatuor anni temporum figuras fictas esse hic et ille vir doctus opinatus est, sed immerito. Ac primum quidem eas picturas proferam, in quibus Amores repraesentati sunt fructus etc. tenentes. Quoniam in aliis Romanorum temporibus exortis monumentis saepissime pueri Horarum habitu et specie ficti sunt, opinio facta est iam pictores Pompejanos eadem fingendi ratione usos esse. Tamen certum exemplum inveniri non potest. Fingendi talem rationem apud artifices Pompejanos non in promptu fuisse iam ex ea re elucet, quod nunquam quatuor anni tempora puerili habitu ficta in uno monumento vel in uno conclavi coniuncta sunt. Unum fortasse exemplum, vel potius una figura extat in Pompejanis picturis, quae obstare videtur illi opinioni:

Pomp., casa del forno di ferro (Zahn. l. c. II, 10, Helb. Nr. 690). Puer alatus volat. Vestitus est parva modo chlamyde maiore corporis parte nudata, ex qua sinus dextra manu factus fructibus impletus est. Sinistra manus ramum tenet foliis atque fructibus (pomis) ornatum. Illum puerum eodem fere typo expressum esse atque auctumnalem Horam patet. (cf. imprimis Zahn. II, 8, Helb. Nr. 991.) Tamen artificem auctumnale anni tempus hac

pueri figura exprimere voluisse non coniciendum est, praesertim cum tres alii pueri alati, quibuscum ille de quo agitur in uno conclavi coniunctus est, omnino discrepent ab Horarum figuris neque ad anni tempora attineant. Itaque similitudo ea fortuito magis quam artificis voluntate certe effecta est. — In eundem numerum habeo multas illas picturas, in quibus Amores uvas, pedum, aves, lepus etc. ferentes ficti sunt, quorum ne unus quidem convenit cum certo anni tempore. Quae cum ita sint non dubitamus contendere, puerorum figuris quatuor anni tempora hellenistica arte, de qua altera fingendi ratio dependet, nondum expressa esse, et illam fingendi rationem Romanorum artificibus propriam esse.

Adiungendae sunt hoc loco quatuor aliae picturae (Helb. l. c. Nr. 1007—1010), quas ad quatuor anni tempora referendas atque ex Romanorum arte orta esse Helb. coniecit. Cum repraesentationes illae unicae sint neque in ullo opere iterum inveniantur difficile est diiudicatu, utrum ad anni tempora pertineant necne, quamquam hoc modo explicari posse illas picturas minime negabo. Sed ad ea de quibus agimus haec res parvi momenti est, cum longe plurima monumenta Romana paucissimis exceptis ex Graecorum arte orta sint.

Altera huius dissertationis pars, qua de sarcophagis Romanis et de aliis operibus ad Horas pertinentibus agetur mox publici iuris fiet.

# Sententiae controversae.

I.

Figura quae in sarcophagis Lunae Endymionem visitantis equos regit immerito Hora vocatur.

II.

Sarcophagi in Pal. Mattei servati (Matz. — Duhn. II. No. 2236), in quo Mars et Rhea Silvia expressi sunt, inferior pars antiqua non est.

III.

'Αγάλματα quibus seras transversas throni Iovis Olympii ornatas fuisse Paus. V, 11, 3 tradit non statuae fuerunt, sed anaglypha.

IV.

Panaenus templi Iovis Olympii parietes picturis non exornavit.

V.

Aedium reliquias Olympiae effossas, quae „Südwestbau" vulgo vocantur, Hirschfeldius Leonidaei esse recte arbitratur.

VI.

Pueri spinam ex pede trahentis signum exemplum quinti a. Chr. n. saeculi imitatur. Itaque statua aenea Capitolina et quae ei similes sunt propius ad archetypum accedunt quam marmorea, quae nunc Londini servatur.

VII.

Verba illa Aristoph. Ach. v. 139—140:

ὑπ' αὐτὸν τὸν χρόνον,
ὅθ' ἐνθαδὶ Θέογνις ἠγωνίζετο

non Theorum, ut codd. tradunt, sed Dicaeopolim loquentem fecisse poetam recte Nauckius coniecit.

# VITA.

Natus sum Paulus Herrmann Halae die XIV. m. Decembris a. h. s. LIX patre Henrico, matre Lodovisa e gente Heberer. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus sum in schola, quae de Aug. Herm. Franckio conditore cognomen habet, qua absoluta gymnasio urbano Halensi traditus sum. Vere anni 1871 cum parentibus Berolinum migravi, ubi per sex semestria inter discipulos viri amplissimi Dr. Döbbelini receptus sum. Inde a. h. s. LXXIV gymnasium Fridericum Guilelmum, quod nunc sub auspiciis Hermanni Kernii floret, frequentavi, ubi institutione virorum doctorum Behnke et Braumann, quibus libentissime hac occasione usus debitas ago gratias, adductus sum, ut antiquitatis studio me dederem. Maturitatis testimonio auctumnali tempore a. h. s. LXXXI instructus universitatem Berolinensem adii, cuius per octo semestria civis studiis archaeologicis et philologicis operam navavi. Deinde per sex menses privatim studiis archaeologicis occupatus per unum annum patriae legibus obstrictus stipendia meritus sum. Docuerunt autem me vv. dd. Bresslau, Brugsch, Curtius, Frey, Furtwängler, Grimm, Kirchhoff, Robert, Vahlen, Zeller. Ad societates archaeologicas Curtius, Furtwängler, Robert, epigraphicas Kirchhoff benigne me admiserunt, Frey et Grimm praeceptoribus studio historiae artis recentioris me dedi. Quibus omnibus viris doctissimis quam maximas semper habebo gratias, imprimis autem Curtius, Furtwängler, Robert praeceptores carissimi in perpetuum me sibi devinxerunt.